

ABL

ASSE'S

... - que de  
... in con  
... phanes  
... nmi  
... de M  
... An lter e  
... Omus str  
... du  
... Stasi un  
... de protan  
... M. Drez et  
...  
... ET AVURS  
... hétépar M.  
...  
... tracé de  
... Beique d  
...  
... rives de  
... vat

LAS DES LE

... - Mort d  
... d'inscr  
... - Manuscrit p  
... volume des  
... inscrio pot r le  
... M. Plez  
... ELECTURE  
... sur l'alc  
... et la co  
... évêque  
... M. Gas


ASSEDES

... Joind  
... de



1. J  
2 J  
3.  
4 J  
5 J  
6.  
7  
8  
9.  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17

1. Selberling: De milite sano conservando. 1780. 1729.
2. Simon: De modo bene nascendi et bene moriendi. 1729.
3. Singer: De perreptione bilis. 1778.
4. Spach: Casus <sup>Sani</sup> Hydroceles. 1761.
5. Staedel: Gonorrhoea virulenta. 1695.
6. Staudt: De venae sectione in gravidis. 1749.
7. Steck: De sagu. 1757.
8. Stegmann: De ophthalmia. 1619.
9. Stein: De tussi stomachali humida.
10. Steinmann: De caussis cur frequentius viri prae feminis calculari fiant. 1741.
11. Stiegler: De ορχοκηλην sive hernia scroti. 1681.
12. Stoer: De emanatione mensium. 1764.
13. Stoerer: De febribus in genere. 1697.
14. Stosch: Resonitur experientia comprobatur. 1722. 1749.
15. Stroehlin: De relaxatione vaginae, prolapsu & inversione uteri. 1749.
16. Stuart: De secundinis salutiferaeque ac nocivae. 1736.
17. Sulzer: Historia morborum quorundam Helvetiarum Endemicorum. 1740.



ARCHIATRO COELESTI  
Auspice & Duce.

DISPUTATIO-  
NUM MEDICARUM,

DE SPECIALI DIGNOTIONE ET  
Curatione morborum totius corporis  
humani, ea quæ est

DE

OPHTHALMIA.

Q V A M.

SUB PRÆSIDIO

*Clarissimi & Excellentissim Viri*

DN. JOHANNIS RUDOLPHI  
SALTZMANNI MEDICINÆ DOCTO-  
ris, & in Incluta Argentinensium Academia Professoris  
Celeberrimi, Præceptoris sui omni observan-  
tiæ cultu prosequendi,

*Publico examini submittit*

DAVID STEGMANNUS MEM-  
mingensis.

*Mense Septembri.*

*In auditorio Medicorum.*

ARGENTORATI.

Typis JOHANNIS REPPIL

Anno M. DC. XIX.



NOBILIBUS, AM-  
PLISSIMIS, MULTA-  
RUMQUE RERUM USU PRÆ-  
cellentissimis.

V I R I S:

DN. CHRISTOPHORO STENGLINO }  
DN. JOHANNI JOACHIMO PACHMAIR } senioribus:  
DN. JOACHIMO ERDINGERO

*Omnibus Inclytæ Augusta norum Vindelic. Reipublicæ  
Civibus primarijs, spectatissimis, Dominis ac Fau-  
toribus suis studiosè colendis:*

Hanc suam disputationem Medicam lubenti  
animo dedicat.

DAVID STEGMANNUS  
Memmingensis.



DISPUTATIO MEDICA  
DE  
OPHTHALMIA.

RESPONDENTE

DAVIDE STEGMANNO MEM-  
mingensi.

THESIS PRIMA.



Abolutis capitis & cerebri morbis, principum facultatum, sensus & motus symptomatibus: consequens est, ut ad speciales nunc exteriorum sensuum affectus præter naturam transeamus. Hos enim illis, ut loquitur Cicero, tanquam nuncios & satellites attribuit natura: qui πολλάς εισαγγέλλουσι διαφορὰς, ἐξ ὧν ἡτε τῶν νοητῶν ἐγγίναται φρόνησις, καὶ ἡ τῶν πρακτικῶν; secundum Aristotelem, l. de sensu & sensibili, c. 1.

2. Nobilissimus autem eorum & princeps Visus est. Nam corpora cœlestia & lucem solus, solus eodem momento contraria distinctè, & quidem quàm reliqui sensus citiùs ac velociùs objecta sua percipit; ad scientias capessendas utilissimus est; instrumentum ei natura tribuit pulcherrimum, & artificiosissimè fabricatum, lucidum, purum splendidumque; unde à Galeno l. 3. de usu part. c. 10. sol in animalis corpore, & à Plinio, l. 11. c. 37. pars corporis preciosissima, quæ lucis usu vitam distinguat à morte, dicitur: idemque in suprema corporis parte collocatum: & eodem Galeno, l. 7. de placit Hippocr. & Plat. teste, cerebri naturæ magis.

quàm reliqua sensoria particeps. Jure igitur, meritoque, de eju-  
dem morbis priore loco agimus.

3. Morborum porrò oculorum, qui sanè plures, peneque  
innumeri sunt ( unde tum nostro, tum prioribus seculis, peculiares  
eorum reperti fuerunt medici, ocularij dicti; quorum etiam Gale-  
nus in *Commen. aphor. 31. sect. 6. meminit* ) frequentissimus, idem-  
que atrox satis, quandoque diuturnus, & qui plurimum medicis  
faccessit negotij, est ophthalmia, sive lippitudo: cujus proin nunc  
Nomina, Definitionem, Genus, Subjectum, Differentias, Causas,  
Signa, tam diagnostica, quàm prognostica, denique Curationem,  
quantum scierimus, poterimusque, tradituri sumus.

4. NOMEN igitur quod spectat, ὀφθαλμία Græcis dicitur,  
ἀπὸ τοῦ ὀφθαλμοῦ, ab oculo, parte scilicet læsa. Quod nomen Latini  
quoque sibi usurpant: quamvis etiam subinde à Cornelio Celso,  
& alijs, lippitudinis nomine ( licet non solius ophthalmiæ pro-  
prio, sed quod tum pro epiphora, tum etiam pro quovis ferè diu-  
turno oculorum morbo capitur ) indigitetur: nimirum à lippien-  
do, seu jugi lachrymarum defluxu, quod ipsius est symptoma.  
Ita namque crebrò à parte affecta, & symptomate, morbos deno-  
minari Galenus, *l. 2. meth. medend. c. 2.* author est. Germani gene-  
rali vocabulo, dolorem oculorum vocitant.

5. Ubi tamen & id tenendum, morbum istum sub initio,  
cùm adhuc levis, vel incipiens est inflammatio, ab extrinseca præ-  
fertim si proveniat causa, ἰάραξις, turbationem, & vacillationem,  
eò quòd totus oculus ἰαράσσηται, turbetur; ophthalmiã itè levem,  
non veram, & spuriam, ad differentiam perfectæ, veræ, & exqui-  
sitæ, appellari. Quando verò eousque increvit inflammatio, ut  
albo oculi in tumorem sublato, nigro verò subsidente, veluti χή-  
μητις, hiatus quidam relinquatur; χήμωσις tunc, Avicennæ alguar-  
denegi, nuncupari.

6. DEFINITUR à Galeno ophthalmia: inflammatio tu-  
nicæ adnatæ oculi: *l. de differ. morb. c. 13. l. 2. meth. med. c. 2. l. 2. ad  
Glauc. c. 1. l. 4. de compos. medicam, κατὰ τόπον. c. 2. l. de part. artis. Med.  
c. 4. l. de ocul. parte 4. c. 8. l. finition. Medicar. quem sequuntur Pau-  
lus Aegineta l. 3. c. 22. Fernel. l. 5. pathol. c. 5. Nicol. Piso, l. 1. prax. c. 26.  
Fuchsius, & alij. Hippocr. l. de glandul. fluxionem ad oculos dicit, in  
qua*



qua oculi intumescant: & l. de loc. in hom. ubi in oculos fluxio proces-  
ferit, oculi inflammantur & tument.

7. Ex posita nunc de finitione patet G E N U S ophthalmiæ,  
quod est Inflammatio sive phlegmone. Etenim quicquid est tu-  
mor calidus, rubens, dolorificus, tendens, tactuique renitens, illud  
est inflammatio, l. 13. meth. med. c. 1. l. de diff. morb. c. 12. l. de tumor.  
p. n. c. 2. l. de ineq. intemp. c. 3. l. 2. de difficult. respirat. Talem autem  
esse ophthalmiam, sensus fidem faciunt. Relinquitur igitur o-  
phthalmiam esse inflammationem.

8. Et cum morborum, attestante Galeno, l. de diff. morb. c.  
4. tria summa sint genera; intemperies scilicet, mala compositio,  
& continui solutio; inflammatio autem ex triplici isto morborum  
genere compositus quidam morbus sit: sequitur, etiam ophthal-  
miam non simplicem quendam affectum esse, l. de diff. morb. c. 13.  
sed ad omnes tres morborum summas differentias referri. Nam  
& ab ipso ægro, ac tangentibus, fervidus quidam percipitur calor:  
magnitudo, in exquisita cum primis ophthalmia, & chemosi, auge-  
tur: & ab humoris impactu tensione, divulsio quædam partium, &  
continui solutio accidit.

9. Differentiæ loco in definitione, ut circa Accidentia fieri  
solet, S U B I E C T U M sive pars affecta additur: nempe tunica adna-  
ta oculi, ἐπιπεφυκίνα quam & conjunctivam, & corneæ in hæren-  
tem, locis supra citatis Galenus appellat. In primis tamen l. 2. de  
compos. medicam. καὶ ἀλότ. c. 2. membranam dicit, os capitis, & cal-  
variæ ambientem, quam etiam adnatam vocent, quod alijs, quæ  
oculum ipsum constituunt, tunicis forinsecus adnascatur, liga-  
mentum existens, toti oculo, ad circumscripta ossa. Ob id etiam con-  
tingere asserit, ut omnia, quæ circum oculos sita sunt, usque ad  
malas, quandoque simul in vehementi lippitudine intumescant &  
attollantur.

10. Membrana siquidem illa, pericranium vulgò dicta, to-  
tum cranium, & ex parte quoque musculos temporales, extrin-  
secus vestiens, ubi ad oculum pervenit, veluti angulum faciens  
duplicatur: & altera pars palpebram succingit; altera hanc adna-  
tam, albam aliàs nominatam, constituit. Cui etiam venulas & ar-  
teriolas quàm plurimas communicat. Ad eam similiter aliæ plu-

A 3

res, ab interioribus oculi partibus, & cerebro, juxta nervum opti-  
cum delatæ, ac per corneam dispersæ, terminantur.

11. DIFFERENTIÆ variæ dari possent, & multiplices:  
sed præstat potiores tantum attigisse. Prima desumi potest à sub-  
jecto, seu sede laborante. Ita namque ophthalmia vel utrumque,  
vel alterutrum solum occupat oculum.

12. Secundò, ratione causæ efficientis, alia ab externa, alia  
ab interna magis producitur causa. Et hæc vel per congestionem,  
vel per confluxionem. Quævis harum vel à sanguine, vel bile,  
vel pituita, vel melancholia, vel flatibus, ut in causis mox doce-  
bimus.

13. Tertia differentia petitur à quantitate seu magnitudine.  
Est enim alia levis, & incipiens; quam τάρσαξις supra vocavimus.  
Alia gravior, ubi manifestus tumor: ut in ophthalmia exquisita:  
Alia gravissima, ut χήμωσις: in qua tantus est albi oculorum tu-  
mor, ut oculus à palpebris claudi amplius non, aut difficulter pos-  
sit, Galen. l. de ocul. part. 4. c. 8.

14. Quarta, à morbi temporibus, maximum in curatione  
momentum habet. Hinc alia in principio, alia in augmento, in  
statu seu vigore alia, alia denique in declinatione constituta di-  
citur.

15. Quinta à Connexis. Unde alia simplex est & solitaria,  
alia cum febre, dolore capitis, &c. conjuncta.

16. Cognata huic affectui sunt: φίμωσις, quæ est palpebra-  
rum inflammatio, & iis concidentibus facta oculi præclusio: σκλη-  
ροφθαλμία (cresse Avicennæ) durities oculi, & difficilis motus,  
cum labore ruboreque, citra humiditatem: Ξηροφθαλμία, prurigi-  
nosa oculorum sine fluore dispositio: Ψωροφθαλμία, palpebrarum  
interioris superficiæ, & ciliorum scabies; Paulus l. 3. c. 22. Fernel l.  
5. pathol. c. 5. Fuchs l. 3. instit. c. 12. Massar. præct. c. 25. Plater. præct.  
part. 2. c. 4. Piso, l. 1. præct. c. 26. Forest in observat. &c.

17. CAUSÆ lippitudinis duplices sunt, externæ, προκαταρ-  
κτικαί, & internæ: & hæc rursus vel antecedentes, προηγμέναι di-  
ctæ; vel continentes, συνεκτικαί vocatæ. Illarum, scilicet externa-  
rum, alia in numero, & catalogo earum rerum, quæ necessariò  
corpus nostrum immutant, & hoc vel illo modo disponunt: alia  
vero

verò ex iis sunt, quæ non necessario id præstant, adeoque evitari possunt.

18. Hujus generis quæ sunt, frequenter *τάραξι* invehere solent: ut æstuaria, & balneæ præcalidæ, aut à cibo, & crudorum humorum multitudine in corpore existente, initæ. Hæ enim caput replent, & liquata balneo excrementa in membra qualiacunque infirma decumbunt, cruda in corpus, sæpissimè in oculos distribuuntur. Item collyria fortiora, ad oculorum maculas, cicatrices & ungues extergendos applicita: fumus, maximè acris: solis, & quivis alius nimius splendor: vomitus violentus: fletus, & lectio multa, minutarum cum primis literarum, & noctu ad lucernam facta: perfrictio frequens & valida, à pruritu & vellicatione invitata: oleum, pulvis, muscæ, & incidentia alia aspera, acuta, urentia, acria, calida; ut est piper, sal, vinum: ictus, contusiones, casus, vulnera, puncturæ; ut in cura suffusionis Chirurgica crebrò accidit (idem nonnunquam evenit in *τεριχιδόσι*, à pilis ciliorum in oculos curvatis) & similia plura, *Galen. l. de ocul. part. 4. c. 8. & part. 6. c. 1. Plater. pract. part. 2. c. 4.*

19. Hæc enim, dolorem aut calorem inducendo, humorum ad oculos, & tunicam adnatam, quæ ob sensum tactus exquisitissimum, contactum alienum ferre non potest, fluxiones excitare, & sic consequenter ophthalmiam causare possunt.

20. Guil. Fabricius Hildanus quendam, ob quotidianam oculorum aquâ gelidissima factam lotionem, inclusis ac constipatis sanguine & humoribus, ac postmodum putrefactis, in ophthalmiam incidisse testatur.

21. Causarum procatarticarum, ex ordine rerum necessario corpus nostrum alterantium, atque aded sex rerum non naturalium, prima habetur AER. Qui si sit calidior atque æstuans, caput humoribus ac vaporibus opplet, humores liquat & fundit, coctiones, dissipatis spiritibus & calore, vitiat: vires, ut partium aliarum, ita & oculorum, debilitat, & ad fluxiones suscipiendas paratiores eos reddit: atque sic tum suppeditando materiam, & eam, quæ jam in capite collecta est, ad fluxum promovendo, tum oculos ad recipiendum disponendo, mali hujus causa existit, *Hippocr. aphor. 21. sect. 3. Gal. in comm. Aristot. sect. 1. problem. 8.*

22. Fri-

22. Frigida verò aëris constitutio dupliciter incommodat. Primùm enim frigus, & magis si accedat siccitas, & venti frigidum, oculos mordicando, & exasperando, dolorem inducit, Hippocr. sect. 3. aphor. 17. & l. de aëre, aquis & locis. Deinde excrementitias humiditates in cerebro gignit: cumque cerebrum, & caput, veluti spongiam apprehendat, & quasi constringat; efficit, ut tùm ad partes alias, tùm maximè ad oculos, tanquam partes proximè subjacentes, illæ fluant, Gal. com. aphor. 12. sect. 3.

23. Humida & caliginosa, qualis esse austrina solet, universum quidem corpus dissolvit & enervat: in primis tamen caput, authore Galeno, comment. 5. sect. 3. aphor. & Hippocrate l. de humoribus, & l. de aëre, aq. & loc. supervacuis, & excrementitiis onerat humoribus; qui postmodùm suo pondere deorsùm tendentes, & ad oculos delati, ophthalmiam procreant, Hippocr. aph. 11. sect. 3. & Gal. in comm. ait: lippitudines ferè omnes infestant repleto capite, quibusdam exceptis, quibus oculi prevalidi sunt.

24. Sicca aëris intemperies, siccas potius lippitudines creat, ob exiccationem bilis, & sanguinis, Hippocr. aphor. 12. 14. & 16. sect. 3. & l. de natura pueri. Galen. in comment. Aristot. sect. 1. problem. 12.

25. Ex compositis aëris temperamentis: siquidem hyems sicca & aquilonia fuerit, ver autem pluviosum & austrinum: necesse est æstate fieri febres acutas, & ophthalmias, &c. aphor. 11. sect. 3. & l. de nat. pueri, Aristot. sect. 1. problem. 7. Sin autem austrina, pluvia, & tepida fuerit hyems, ver autem siccum, & aquilonium, quibusdam hominum naturis dysenteria, ophthalmia nascuntur sicca, id est, ut in commentariis interpretatur Galenus, tales, ex quibus, ob aëris ambientis frigiditatem, superficiem exteriorem densantem, nihil effluit, aphor. 12. sect. 3. Cum annus totus humidus & frigidus, & aquilonius esset, per hyemem sano modo plærunque habebant: ante ver autem multi quidem, & plurimi morbidè degabant. Primùm igitur cœperunt lippitudines fluidæ, dolorosæ, humidæ, crudæ. Lemæ parvæ, & multis difficulter erumpentes; plurimis revertebantur. Defecerunt serò ad autumnum, Hippocr. l. 1. epidem. sect. 2. Rationes ex Galeni commentariis, & suprà dictis patent.

26. Tan-

26. *Tantum de aëris qualitatibus.* Ratione substantiæ, doctissimus Thomas Erastus, in disputatione prima Antiparacelsica, evenire scribit, ut multi, visis oculis lippientibus, ipsi quoque lippire statim incipiant. Putat enim, ab oculis laborantibus *μύσματα* quædam, *νοσφὰς ἀκρίσεις*, & putridos exire halitus, qui aspicientis petant oculos, eorundem spiritus, & humores contagio inficiant, & consimili labe inquinant.

27. Verum, nisi ipsi cucurbitas & ollas lippimus, non usque ad eò probabilis videtur ista doctissimi Erasti opinio. Libenter quidem ei largimur, à putrescentibus humoribus putridos exhalare vapores; qui, si multi per respirationem aut perspirationem in corpus attracti fuerint, ejus quoque humores corrumpere & putrefacere possint. Neque etiam multum differimus à sententiâ Fernelij: aliquando populariter grassante ophthalmia, præter qualitatum tempestatumque mutationem, occultius quiddam, & perniciosius in ambiente nos aëre, tum volitare, & circumferri. Sed cum illud circa lippos primo ferè obtuitu accidat: & non nisi aspicientibus, quantumvis aliàs propè astantibus, accidat: nec ita usu veniat in reliquis inflammationibus, & putredinis generibus, neque etiam reliquis corporis partibus: contingat etiam multis, qui debilioribus sunt oculis, & fluxiones antea expertis, ut si cogitatione tantum modò oculos lippos sibi proposuerint, aut alios de ijs loquentes audiverint, id experiantur: imò ipsi lippiones, oculos suos morbosos in speculo contemplantes, majorem humorum affluxum, & ingravescentem dolorem sentiant: nos rationem illam non sufficere, sed aliam quærendam censemus.

28. An fortassis propterea fit, quòd natura, quæ ad partes laborantes, & dolentes, perpetuò sanguinem, & spiritus subsidio mittere solet, hac imaginatione, & nova quasi prioris doloris repræsentatione (vix enim nisi oculorum dolores prius expertis id accidit) ad idem faciendum irritetur & commoveatur: & humores, ad oculos fluere consueti, antiquum obtineant? Quòd autem magis in oculis, quàm reliquis partibus, id eveniat, forsitan hæc ratio: quòd oculi cerebro viciniore, & viæ patentiores sint: unde cæterorum quoque cerebri affectuum citius participes redduntur; ut in cephalalgia, vertigine, phrenitide, paralyti, lethargo &c. fieri videmus.

B

29. Secundo loco sunt ALIMENTA. Et circa cibum quidē, si vel quantitate, vel qualitate, vel ordine, vel tempore peccetur; prout vel sanguinis, vel alterius humoris vitiosi copia generatur: pro eo etiam corpus, ut alijs morbis, ita quoque ophthalmiē huic vel illi obnoxium redditur. Comestio sinapi, allij, ceparum, raphani, erucæ, & similium, quamvis fluxionem irritare potest. In potulentorum genere noxius imprimis est immoderatio vini usus; quod, ex sententia Rhasis, caput calefaciat, & peccat. Unde vini potores plerunq̄ue oculis aut palpebris rubentibus conspicuos cernimus.

30. Tertiò, MORTUS immoderatus, & intempestivus, sanguinem universum ita plerunq̄ue in venis diffundit, ut concalfectus liquatusque, proprijs conceptaculis coerceri haud possit; sed his apertis forās excidens partibus phlegmonas (in quarum numero ophthalmiam reponimus) infligat: corruptos autem humores, qui alioqui tranquilli, ignobili loco conclusi, & quasi consopiti tenebantur, quique à natura tempore concoqui, domari, ac demùm blandè excludi poterant, irritat, & quasi in furorem agit: qui postea, tanquam mota Camarina, tetra vapore corpus variè laceffunt: sed & ipsi quoque versum effusi, omnis generis abscessus &c. morbosq̄; multiplices & varios invehunt, *Fernel. l. I. pathol. c. 16.* QUIETEM porro, & otium immodicum, cruditatem, & vitiosorum humorum (antecedentis ophthalmiæ causæ) proventum parere, jam usq̄ue notum est.

31. Quartò SOMNUS, si modum excedat, præter alia incommoda, hanc potissimùm noxam, & generandæ lippitudinis occasionem infert: quod caput halitibus aggravet, & ne excrementa opportunè expellantur impediendo, vitiosis humoribus referciat. VIGILIAE nimia vires corporis labefactant, ac perdunt, cruditatem pariunt, cerebri & sensuum functiones debilitant, naturales autem imbecillas reddunt, bilem inflammant, acutorum morborum, ὑγροφθαλμίας & ξηροφθαλμίας procreatricem, *Fernel. Fuchs.*

32. Quintò EXCRETIO, præter naturæ leges facta, non parum spiritus & caloris educit. Hinc tùm naturales, tùm animales functiones languescunt, & cruditates, cachexiæ ophthalmia

Quant-

quandoque pituitosa aut melancholica, emergunt. Præcipuè tamen immoderatam Venerem mirè oculos offendere Aristoteles attestatur, *sect. 4. probl.* RETENTIO autem, atq; etiam parcior, & non qualis, aut quando expedit, facta vacuatio, ut nulli causarum evidentium in morbis excitandis, ita neque in ophthalmia progeneranda cedit, sanguinis præsertim si consueta aliqua vacuatio suppressa sit. Hanc enim proximè sequitur sanguinis, & excrementorum proventus, interiores morbi causæ.

33. Tandem ex ANIMIAFFECTIBUS sive perturbationibus, ira, cum in ea exardescente corde, spiritus & humores inflammati, in extimas corporis partes (quæ ob id rubicundiores calétioresq; redduntur) cum impetu effundantur; quemadmodum aliorum morborum ex sanguinis fervore, & humorum confusione provenientium: ita quoque ophthalmiæ causis externis jure annumeratur.

34. Ab externis igitur hisce causis producuntur & foventur INTERNÆ: sanguis nimirum, isque plerunque tenuis, & calidus: cui quandoque ex sententia Galeni, *l. 13. meth. med. c. 22. l. 2. ad Glauco. c. 1. l. de ocul.* aliorumque Medicinæ procerum, alij etiam humores adjunguntur; frequentius bilis flava, rarius pituita, & bilis atra; nonnunquam etiam flatus seu vapores iisdem copulantur.

35. Sunt hæ principales causæ internæ, quarum influxui hoc malum debetur. Adjuvantes & disponentes sunt: primum quidem ipse fons, & scaturigo unde in oculos humores illi immittuntur. Promanant autem vel à toto corpore; ut fit in plethoricis: vel à peculiaribus, unâ vel pluribus corporis partibus; scilicet naturâ, humorum copia gravatâ, aut acrimonia lacescitâ, sese exonerante: ut plurimum tamen à capite.

36. Etenim caput, ut loquitur Fernelius, ob amplam copiosamque cerebri medullam, multo eget alimento, è quo necesse multum quoque excrementum gigni: maximè verò si impensè frigidum humidumque, aut alia id ratione imbecillum sit; illique vel copiosius, vel non satis congruens alimentum suppeditetur. Scitè idem ab Hippocrate instar cucurbitæ corpori incumbere,

eiusque excrementa, vapores & humores suscipere; rursusque subjectis partibus transmittere dicitur.

37. Sed cum partes capitis alia sint interna, intra cranium constituta; cerebrum ipsum, & ejus membrana; alia externa, extra illud locata: fluxiones etiam, nunc quidem à cerebro, & interioribus cranio partibus; sæpius ab exterioribus, & cute verticis, quò venarum per faciem & tempora in caput irrepentium, extrema desinunt, procedunt. Hunc proin locum Fernelius, *l. 5. pathol. c. 4.* fontem & fomitem appellat omnis externa destillationis: & assidua humorum coagulatione ibidem facta, tantum interdum cumulum fieri tradit, ut tumor cereæ instar mollis promineat, cutem condensans, eamque à calva plurimum disjungens.

38. Destillationes autem, & frigida humidaque cerebri intemperies, persæpè foventur à dyscrasia, ventriculi frigida, & jecoris calida. Cujus rei, cum adeò frequens sit, alij alias reddunt rationes. Nobis isthac, quam à præceptoribus nostris hausimus, magis arridet. Quòd nimirum hepate existente præcalido, pinguedo abdominis & omenti colliquetur, & sic eius pereat finis, fomentum & præsidium caloris ventriculi; qui absumpta illa dissipatur, & à subintrante frigore exteriori corrumpitur. Caloris ventriculi imminutione privatio concoctionis, hanc vaporum copia subsequitur: qui ad caput sublatis, frigiditate cerebri condensantur, & in humores, ipsum postmodum cerebrum alterantes, concrevunt. Adde quòd hac ratione plurimum cruditatis toti corpori subministretur. Plus tamen halituum cerebro à jecore tum accedit: quòd in eo & humorum, tanquam materia, sit ubertas; & causa efficiens, ipse calor, prævalida constituatur.

39. Sunt *deinde* ipsa via sive spatia, per quæ humores feruntur: venæ scilicet & arteria, ad oculos pertingentes. Et si quidè ab interioribus cerebri sedibus fluxio deducatur, venarum jugularium internarum, & arteria carotidis interiores ramulos permeant; aut etiam nervum opticum, quem illic comitantur. Sin ab exterioribus partibus, & vertice irruant, venæ jugularis exterioris propagines, & exterior arteria carotidis ramus, per tempora & frontem disperfus, ac mediante pericranio, multis quasi rivulis, in adnatam oculi tunicam ductus, transitum præstabit.

40. Hæc



40. Hæc itaque vasa ( aut ipsa etiam Adnata ) ubi aut ab ortu, aut prægressis antè defluxionibus, laxiora amplioraque fuerint, ophthalmiæ, ejusdemque sæpius recurrentis, ansam ex facili præbent, *l. de ocul. part. 6. c. 1.* Præsertim cum hæc via naturæ pro expellendis capitis excrementis consueta sit: unde ab Hippocrate & Galeno inter canales expurgationi capitis destinatos connumeratur, *l. de glandul. l. de loc. in homine, l. 1. de sanit. tuend. c. 13. & l. 6. c. 9.* ac propterea *l. de sectis ad eos qui introducuntur* causis fluxionum ascribitur.

41. In ipso tandem oculo, si calor, aut dolor sævierit, creberrimè ophthalmiam accersunt. Calorem namque, ut & dolorem, humores attrahendi facultate pollere, & sensus persuadent, & toties à Galeno inculcatur, præsertim in *μικροτέχνη, c. 90. l. 5. meth. med. c. 4. & l. 13. c. 3. & 5. & l. 1. κατὰ γένη.* Calorem pariunt & causæ procatarticae multæ suprà enumeratæ, & morbi calidi, ut febres, cephalagiæ calidæ, phrenitis. Dolorem similiter, & evidentes illæ causæ, & præcedens epiphora, serum acre, & similia, inferunt. Et si adsit imbecillitas, ob defectum caloris & spirituum, ut in senibus accidit, aut ob vasorum propriorum laxitatem, facilius multò humorum rheumatismum suscipiet.

42. Effunduntur humores sub tunicam Adnatam, eò quòd vasorum extremitates eò desinant; quòd ea magis externis injurijs obnoxia; quòd sola ex oculi totius tunicis sensu tactus denata sit exquisitissimo; ob mollitiem extendi facilius possit.

43. Denique hîc notandum, humores illos, quandiu fluxuri, aut in fluxu sunt, causæ Antecedentis rationem habere: Ubi verò fluxerunt, & in oculo impactisunt, Continentis naturam induere. Hæc de causis protulisse sufficiat.

44. Nunc ordinis nos ratio ad SIGNA vocat, & diagnostica, *τῶν παρόντων δηλωτικά;* & prognostica, *τῶν μελλόντων δηλωτικά.* Illa in *παθογνωμονικά,* quæ tum in genere affectionem ipsam, tum in specie illius differentias, à subjecto, quantitate, occasione generationis, morbi temporibus, & adjunctis petitas manifestabunt; & in *αιτιογνωμονικά,* quæ & humores affluentes, & partes mandantes, & vias, per quas humores ad oculos fluunt, ostendunt, dispescuntur.

45. Generalia ophthalmiæ signa sunt: dolor, qui in hac parte exquisiti sensus plerunq̄ue atrox perſentitur; ad noctem, ut vult Hippocrates, *l. 7. epidem.* magis affligens; inflammatorius, tendens, gravans. Interdum tanta excruciat punctio, ac si oculi ab infixa acu, aut spina stimulantur. Arteriarum circumſitarum moleſta fit pulſatio. Lachrymæ calidæ exudant. Pituita & sordes in oculorum angulis colliguntur. Calor adest, ac tumor, qui sæpè ad malas usq̄; se protendit. Venis exilibus, quæ in albo oculi antea latitabant, tumidis turgidulisq̄ue redditis, album oculi rubescit.

46. Specialia singularum differentiarum signa sequuntur. Et quantum quidem attinet ipsum Subjectum, affectam hîc esse adnatam oculi tunicam, sensibus obvium est. Sic etiam an alteruter, an uterque oculus laboret ut dignoscatur, alijs signis opus non habet.

47. Levioris & incipientis phlegmones, sive *λαπάξις*, hæc signa habentur: rubor exiguus, sine discrimine oculi partes invadens; dolor non ita magnus: causæ externæ non necessariæ, æstus, efus rerum acrium, vini potatio, commotio nimia antegressa. Veram & confirmatam ophthalmiam ostendunt: tumor manifestus, tensio, dolor, calor, rubor, symptomata omnia se viora. Sin oculus apertus maneat, nec claudi possit, albo nimirum oculi in tumorem sublato, atque eminente, nigro verò subsidente, & veluti hiatus quendam efficiente, *χίμωσις* erit. In qua præter ruborem, ad nigredinem vergentem, & inflammationem, pathognomonicum signum est palpebrarum *ἐκτροπή*, inversio, quia adduci non possunt.

48. Signa morbi temporum manifestiora hîc habentur, quàm in reliquis inflammationibus. Principium est, cum venæ primùm distendantur, lachrymæ & sordes defluunt nulla coctionis signa præ se ferentes, servantque vel nimiam caliditatem, tenuitatem, pallorem, acrimoniam, vel frigiditatem, crassitudinem, lentorem, pro humoris peccantis varietate. Incrementum denotatur, cum in carnosam tunicæ substantiam sanguis funditur, & iam intumescere incipit: humor & dolor augentur: lachrymæ tamen, & sordes quædam tenues, meliorem consistentiam acquirunt. In statu maximus adest dolor, rubor & tumor: lachrymæ  
verò

verò & fordes, in salubri ophthalmia æquales, albæ, concoctæ; in pernitiōsa verò aut liventes, aut virides, aut nigræ, & fœtidæ, ac in substantia ab omni mediocritate recedentes. Hoc tempore etiam sæpenuerò ita fordes incrassantur, ut per somnum oculum instar limi cujusdam oblinant, ipsasque palpebras invicem agglutinent. Si omnia hæc minuantur, declinatio, & morbi finis aderit.

49. An complicata sit febris, capitis dolor, aut alius quis præter naturam affectus, ex sensu ægri, & proprijs cuiusque notis, alibi traditis & tradendis, deprehendetur.

50. Ut ad *causarum* indicia deveniamus: externæ illæ si præcesserint, aut calor vel dolor aliquis, in oculo præextiterit: ea de re ex relatu ægri, & astantium, Medicus certior fiet. Cùm verò illis absentibus, non ita subito morbus invasit, ab internis solùm exuscitatum conjectabimus.

51. Et si à congestione oriatur, paulatim ac sensim invadit, lachrymæ & fordes præcedunt, ab astringentibus plurimùm offenditur, abstinentiâ maximè juvatur. Sin per defluxum, quod frequentius contingit, irruat, dolor & tumor quasdam sæpè tenent periodos; membri excrementa sua transmittentis affectus per sua signa non ægrè deprehenduntur: estque plurimùm caput in causa. Si utroque modo is eveniat, utriusque etiam apparebunt notæ.

52. Si à puriore sanguine provenerit malum, plenitudo totius corporis observabitur, cuncta rubra & sanguinea erunt, nedùm adnata tunica ipsa; sed & facies rubens, & humidior, venæ latiores, sensus gravitatis aderit, & segnities in consuetis functionibus obeundis, maximus tumor in loco, tensio, lachrymæ plurimæ, minùs mordaces & acres, crassiusculæ, quæ faciliè exiccantur, fordes molles in oculorum angulis, magna temporum pulsatio. Adde quòd temperamentum ægrotantis, & ætas, sanguinis redundantiam testabuntur: nec minùs regio, tempus anni, & vitæ ratio præcedens. Fomentum ex aqua calida, cùm spongia applicitum, si primò dolorem minuat, paulò post majorem accersat, signum Galeno est indubitatum plethoræ, aut cacochymiaè universalis, *comm. aphor. 31. Sect. 6.*

53. Biliosum humorem manifestabunt: corpus biliosum  
& gra-

& gracile, calor & dolor major, ac mordax, lachrymæ pauciores  
falsæ, aut amaræ, citrinæ, tenues. Quò fit, ut non solum anguli  
seu hirci oculorum, sed & malæ vehementer ex tali influxu ro-  
dantur, & exulcerentur, ægrique vid. antur uri, exiliantque, ero-  
sionem non tolerantes. Sordes in angulis sicca sunt, & asperæ:  
tumor autem moderatus est in superficie: color subpallidus, aut ex  
rubro flavescens. Ad sunt plerunque etiam vigiliæ, præsertim si  
à capite materia defluerit. Si materia fuerit in stomacho, sæpè &  
febris, tertio die accessiones habens. Et si fuerit in toto corpore,  
urinæ, & fortassè etiam alvi excrementa, biliosa egerentur. Præ-  
cesserunt etiam tristitiæ, curæ, insolatus, ira, acrium esus, usus  
vinorum potentium, exercitia valida: aderitque ætas & reliqua  
biliosa.

§4. A pituita redundante natam ophthalmiam arguent  
gravitas vehemens, caliditas remissior, rubedo adnatæ exigua, de  
qua & facies eiusdemque color communicabit: tumor in loco  
major, & laxus, color albicās: lachrymæ insipidæ, tepidæ, si crassior  
sit pituita etiam viscidæ, ut palpebrarum per somnū agglutinatio  
fiat. Sin verò falsa sit pituita, lachrymæ erumpent plurimæ, ten-  
nues rodentesque: sordes sive lemæ pauciores mollioresque: ha-  
bitus corporis, quæ præcesserunt, & comitantur reliqua, pituitam  
prodent.

§5. Humores melancholicos admixtos, dignoscemus  
ex colore livescente, sensu gravitatis: dolore & calore pauciore,  
nisi fuerit bilis atra exusta: excrementis crassioribus nigrescenti-  
bus, siccioribus, paucioribus, minùs quàm pituitæ viscidis: tem-  
peramento, ætate, & reliquis, melancholiam exuperantem osten-  
dentibus.

§6. Quòd si neque fervore, neque rosione, aut vèhe-  
menti gravitate urgente, adnata oculi tunica extendatur, adeò ut  
disrumpi videatur, ac doleat insigniter, lachrymæque non appa-  
reant, aut paucæ, licet aliquantum rubea videatur eadem tunica:  
indiciu erit, spiritum seu flatum esse, qui distendat, ac dolorem  
faciat. Mistarum mista existunt signa.

§7. Fluxio si à capite procedit, eius plærunque gravita-  
tem & dolorem *προδρόμους* habet, cùm plethora aut cacochymia  
capitis.

capitis. Et si quidem ab intimis partibus, per interiora vasa defle-  
ens, in oculos decumbat; sternutationis aderit irritatio, narium ac  
faucium pruritus, major capitis dolor, ad oculorum usque radices  
se se extendens: partes oculorum atque frontis non ita ut si ab ex-  
ternis, tumere videbuntur.

58. Sin ab externis capitis partibus, & vertice, per exte-  
riores venas & arterias illabatur; vasorum in fronte ac temporibus  
fiet distensio, accedente arteriarum multa pulsatione, palpebrarū  
inflatione ac rubore.

59. Si per consensum ventriculi caput & oculi affician-  
tur; nausea plerunque, ructus & vomitus præcesserunt, aut co-  
mitantur. Consimili ratione aliæ corporis partes, si materiam  
immiserint, an samvè præbuerint, suæ constitutionis propria signa  
edent.

60. Quoad PROGNOSTICA: lippitudo malum incu-  
rabile non est, nisi error committatur: & sæpè brevissimo tollitur  
tempore (maximè *ἰάσαξις*) ut est apud Galenum, l. 4. de comp. med.  
*κατὰ τόπον.* & Hippocratem, l. 1. de morb. & l. de gland.

61. In regione meridionali Avicenna tradit lippitudi-  
nem facilius curari, propter raritatem pororum, & alvi lubrici-  
tatem, in ægrotantibus: contra fieri in regione frigida.

62. Ita quoque minori negotio succurritur, fluente ma-  
teria per spatia exteriora: quod & minoris illa sint dignitatis, & à  
Medico commodè corroborari possint: quod in reconditis vasis  
fieri nequit; ac proinde eorum vitia ægrè curationem recipiunt,  
l. 13. meth. med. c. 22.

63. Lippitudines pueris, & senibus curatu difficiliore,  
& maligniores; ob capitis imbecillitatem, & excrementorum a-  
bundantiam: hinc fluxio major in oculos destillans, ut constat ex  
Galeni l. 5. de sanit. tuend.

64. Protinus orta lippitudine quædam notæ sunt, ex qui-  
bus quod eventurum sit, colligere possumus. Nam simul ac la-  
chryma, & tumor, & crassa pituita cæperint; si ea pituita lachry-  
mæ mixta est, & ea lachryma calida est; pituita verò alba, & mollis,  
tumor non durus: longæ valetudinis metus non est.

65. At si lachryma multa, & calida, & pituitæ paulum,

C

tumor modicus, idque in uno oculo est: longum id, sed sine periculo futurum est. Idque lippitudinis genus minimè cum dolore est: sed vix ante vigesimum diem tollitur; nonnunquam per duos menses durat, sed quandoque quadragesimo finitur.

66. Si pituita alba & mollis esse incipit, lachrymæque miscentur; aut si simul hæc utrumque oculum invaserunt: potest esse brevior, sed periculum ulcerum est. Pituita autem sicca & arida, dolorem quidem movet: sed maturius desinit, nisi quid exulceravit.

67. Tumor magnus si sine dolore est, & siccus, sine ullo periculo est. Si siccus quidem, sed cum dolore est, ferè exulcerat: & nonnunquam ex eo casu fit, ut palpebra cum oculo glutinetur. *omnia Hippocr. l. 2. prorrh. & Cels. l. 6. c. 6.*

68. Sed & gravis est tumor, si lachrymam conjunctam habeat, itemque dolorem. Si enim lachryma procedit calida ac falsa, periculum est & pupillam exulcerari, & palpebras.

69. Si verò tumor confederit, sed lachryma multa multo tempore effundatur, & sordes fuerint: viris quidem palpebrarum everisionem prædicere oportet; mulieribus autem & pueris exulcerationem, & everisionem palpebrarum.

70. At si sordes pallidæ, aut lividæ fuerint, & lachrymæ multæ ac calidæ, & in capite ardor fuerit, & de tempore dolores in oculum decubuerint, & vigiliæ his accesserint: necesse est ulcus in oculo factum esse, & timor est quoque ut talis rumpatur. Prodest autem febris accedens, aut dolor ad lumbos innixus, *Hippocr. ibid.*

71. Si ophthalmia laborantibus continuo, diuque doleat caput, periculum cæcitas affert, *Hippocr. in coac. prænort. t. 224.*

72. Ophthalmia redit per circuitus.

73. Lippientem alvi profluvio corripere bonum: materia namque deorsum vergit, *aphor. 17. sect. 6. & coac. prænort. t. 224. & l. de iudicationib.*

74. Viro lippiente febre superveniente solutio: sin minus, periculum est ne cæcus fiat, aut pereat, aut utrumque, *ibid. in coac.*

75. Quibus fluxiones in oculis tenues, ac diuturnæ: si maturè in nares processerint, prodest, *l. 7. epidem.*

76. Lip-

76. Lippitudo ex uno oculo ad alterum quadam velut contagione transit: idque ominus non mali esse creditum est. Et alterius oculi morbus diuturnior & gravior est, quam utriusque, magisque irritat: eò quòd, dum alter sanus adhuc oculus varijs agitatur motibus, cum eo simul moveatur æger; qui multiplici illo motu offenditur & exasperatur. Cum verò uterque simul laborat, tolerabilius fit malū eo, quòd quietem tūm agant ambo. E quiete verò velocior succedit sanitatis adeptio, *Andr. Laurent.*

77. Durationem ophthalmiæ Avicenna quoque determinat, inquiens; lippitudinem esse velocis motus, si lachrymæ magis currant, & sint mordaces: quòd indicent velociorem motum materiæ. Contrà statuendum, si lachrymæ ægrè fluant: nam indicari materiæ motum tardiolem.

78. Ophthalmia sæpè perducit ad exitum uveæ, cum cornea tunica nonnunquam disrumpatur, per corrosionem, aut putrefactionem, si diu duret malum, materiaque erodens continuo ad oculum fluat. Sæpè etiam impacti humoris reliquijs restantibus, suffusiones, ungues & albugines fiunt, *Hippocr. l. 1. de morb.* Sæpè fluxionis tunicæ disruptæ & resiccatae, cœcitatem aut hebetudinem induxerunt.

79. Nec minùs ex curationis errore quosdam ægrè confuseque vidisse; modò suffusione, pupillæ nimia dilatatione, vel tabe, aut corrugatione fuisse occupatos constat; potissimum ex usu stupefacientium medicamentorum, *l. 3. meth. med. c. 2.*

80. Restat ut ad ultimum & præcipuum caput nostræ disputationis accedamus, ipsam nimirum CURATIONEM: cuius cum lumen & basis sint indicationes; curatoria quidem, à morbo, præservatoriæ à causis morbificis, conservatoriæ, à parte affecta petita: eas hac arte scrutabimur.

81. Morbus ipse, inflammatio adnata, cum res sit præternaturam, sui ablationem per contrarium indicat. Calida nimirum intemperies refrigerando, magnitudo aucta eandem imminuendo, & unitas soluta eam ipsam restaurando, demenda.

82. Quia verò phlegmone omnis ita à sua causa contingente dependet, ut hac remota sponte evanescat: propterea à causa primùm suis contrarijs impugnandæ, & excindendæ erunt.

Humores igitur impacti evacuandi: derivando, repellendo, discutendo.

83. Verum cum id ipsum quoque commodè præstari nequeat, nisi antecedentes causas inhibuerimus: propterea fluentes illos retrahemus, intercipientes (vias astringendo) repercutiemus: fluxuros autem, in corpore plethorico, aut cacochymo, è corpore educemus, & revellemus.

84. Partium inde humores istos, aut flatus generantium, & mandantium, ut capitis, ventriculi, jecoris &c. intemperies & vitia corrigenda: quod tamen qua arte in illis fieri debeat, nostri instituti non est hic explicare; sed aliunde, & partim ex prægressis disputationibus petendum.

85. Causæ externæ si quæ adhuc adsint, aut etiam calor ac dolor aliquis in oculo præextiterit: ea omnium primo auferenda emendandaque erunt.

86. Ultimo loco pars affecta, si qua intemperies aut imbecillitas in ea relicta sit, corroboranda & reficienda fuerit, ne subinde novam humorum alluviem recipiat.

87. Dolor, ophthalmiæ comes, ut symptoma, nihil indicat. Verum cum in hac parte adeò sensili plerunque sævus sit, ut acerbissimis omnium, nephritico, colico & arthritico annumetur: ideò fit, ut & ille causæ rationem subeat, & quocunque tempore anodynus tollendus, mitigandusque sit. Ita quoque ut vigilijs occurrendum, jam ab alijs indicatum fuit.

88. Hac medendi normâ præscriptâ, ad præsidiorum materias, quæ ex diætetico, pharmaceutico, & Chirurgico fonte hauriuntur, descendamus. Diætam autem, seu victus rationem, sub sex rebus non naturalibus dictis comprehendimus.

89. AER igitur ne sit præcalidus, aut summè frigidus, multo minùs ventis agitatus: sed in passivis quidem temperatus, in activis autem modò ad calorem, modò ad frigus modicè declinet, pro morbi causæ & temporis ratione. Sæpiùs tamen, ut in ophthalmiâ sanguineâ, & biliosâ, ac in principio, frigidus convenit, naturâ vel industriâ nostra: sparsis per areâ aquis, & partibus plantarum refrigerantium recentium; ut floribus violarum, rosarum, nymphææ, folijs salicis, pampinis, vitium capreolis, ruborum  
summi-



summitatibus, lentisci ramis, aquâ simplici gelidâ, aquâ rosarum, nymphaeæ &c.

90. Idem ne sit lucidus, aut qui splendorem solis, aut flammæ admittat: splendor enim, & lumen humores commovet, spiritus resolvit, visionis instrumentum offendit; quod Hippocrates, *l. de decenti ornatu*, & *l. de visu*. Galenus, *l. I. de caus. sympt. c. 6.* & *l. 10. de usu part. c. 3.* demonstrat, ac exemplis militum Xenophonis, Dionysij tyranni, & eorum qui per eclipsin solis fixis oculis ipsum intuiti sunt, comprobatur. Detineatur idcirco æger loco, & conclavi obscuro, & tenebroso; aut, si in propatulum progrediendum ipsi sit; oculos obvelet linteo, vel serico, cœruleo, viridi, aut potius nigro colore tincto, ex consilio Galeni, *l. I. de caus. sympt. c. 6.* nisi per alia oculis applicata, huic rei provisum fuerit.

91. Similiter verò & qui fumo, aut alijs tenuioribus exhalationibus perturbatus est aër, acrisque factus, oculos mordet, & irritat. Sicuti & à vehementer odoratis quibusdam, ut oleo spicæ; & foetidis, ut excrementorum nidore, oculos vellicari videmus. Quæ ob id omnia, oculis dolentibus noxia vitanda sunt.

92. CIBUS ac POTUS, quoad quantitatem sit paucus, & parcus, præsertim circa initia; sic jubente Galeno, *tùm alibi, tum l. 4. κατὰ τόπ. c. 2.* Hippocrate, *l. de visu*. imò, si fieri possit in integra inedia servetur æger, usq; quo fluxio restiterit; idq; tum ob inflammationem, tum ob dolorem. Nam prima omnium, (ut Celso placet) in eiusmodi malo sunt quies, & abstinentia: eò quòd partes inanità avidius quos habent humores retinent, ne ad oculos confluant. In biliosa tamen constitutione plusculum concedimus, ne humor biliosus magis efferatur.

93. Quoad qualitatem, vitentur cibi vaporosi, ac tardæ concoctionis: ut carnes, potissimum animalium quadrupedum, & salitæ, lacticia, caseus, fructus recentes; ex sententia Avicennæ etiam caules & lentes. Abstineant ab acetosis, salis, acris, aromaticis, actu præcalidis; ijs deniq; omnibus, quæ fumos acres capiti, & oculis immittunt; ut sunt bellaria & condimenta ex cepis, sinapi & raphano, similibusque parata. In calidiore inflammatione Rhasis neque dulcia admittit; quia bilescunt. Ova quoque, & omnia quæ multum generant sanguinem, hinc fugienda.

94. Sint contra quæ assumuntur non nihil refrigerantia, modicè attenuantia, quæque paucum, eum tamen laudabilem producant sanguinem: sæpiusque liquida, quàm solida, ne oculus agitatione materiæ moveatur. Conveniunt igitur ptisanæ vel faris cremor, beta elixa, borrago, lactuca, cucurbita, poma, pyra assa, & amygdalatum. Inclinate morbo jus pulli, eius alæ, & hepata gallinarum. Condiri possunt ijs, quæ oculo familiaria grataque sunt: ut nuce moschata, euphrasia, fœniculo; quæ etiam côm saccharo in trageam quandoque rediguntur.

95. Circa potum abstinendum erit à vino, præsertim inter initia, eoque potissimum veteri ac vinoso. Tale enim potenter caput petit, replet & calfacit: ut & omnis potio vaporosa. Et extat generale Galeni monitum, *l. 4. meth. med. c. 7.* cavendum à vino est, ubi phlegmones suspicio adest. Bibant itaque aquam coctam, in primis si in ea hordeum, passulæmin. rad. cich. & similia sint decocta: in frigidioribus verò coriandrorum præparatorum semina, aut semen fœniculi, aut hordeum, aut cinamomum, & alia ejusmodi, vel etiam multæ permixtionis aquam mulsam, sive hydromel.

96. Quod si tamen, præterlapso vigore, & plethorâ jam exhaustâ, crassus adhuc humor, in oculorum venulis infarctus, eas distendat, frigido præcipuè tempore: utile fuerit, etiam vino uti albo, tenui, & aquoso. Vinum enim sanguinem diffundit, & vacuat, sui que motus vehementiâ obstructions aperit: sic docentibus Hippocrate, *aphor. 31. sect. 6. & aphor. 46. sect. 7.* & Galeno, *in comment. item l. de oculis.*

97. MOTUS corporis nullus fiat vehemens, aut validus, nec capite inclinato: ut nec lectio ac scriptio, maximè post cibum: sed præferatur quies, aut, dolore mitigato, exercitatio levis, ut deambulatiuncula, ex sententia Galeni, *l. 4. κατὰ τόπ. c. 2.* In primis vitetur nimia commotio, distortio, & frictio oculorum, immoderatus risus, & fletus. Loco exercitij etiam manè, & ante cibum, brachiorum ac crurum fructioibus uti possunt.

98. SOMNUS convenit moderatus nocturnus: magis quidem in principio & augmento, ac cùm dolor fluxionem excitat; minùs in declinatione, cùm opus est resolutione. Capite ele-  
vato

vato dormiat, in latere oculo dolenti opposito: nonnihil tamen supinato; ut facilius materia ad partem posteriorem convertatur.

99. ALVUS, si non naturâ quotidie, arte saltem reddatur levior. Quod fieri potest partim alimentis; ut pote brodijs pinguibus, passulis, prunis, butyro recenti, lactucâ, betâ, malvâ, spinachiâ cum butyro coctâ, ficibus, ovis sorbilibus, pomis coctis: partim medicamentis, postea dicendis. Veneris usus aut in totum, aut majori ex parte omittatur.

100. ANIMI quin etiam P A T H E M A T A, vehementiora præsertim, fugiantur.

101. Hunc in modum victus ratione instituta, ad ipsam pharmaciam & Chirurgiam devenimus. Et si quidem ab illapsis in oculum profectum fuerit malum: nisi talia sponte rursùm emanârint, aut motu oculi, & palpebrarum, aut oculi solius agitatione, palpebris interim apertis detentis, propulsa, lachrimis que obrtios abluta, recesserint: tunc, si quidem in oculorum angulis consistunt, & in conspectum veniunt; panno linteo, in formam turundæ adaptato, aliove stylo molliore, industriè eximi debent.

102. Sin verò in abdito latentia visum fugiant; lævibus lubricisque corpusculis in oculum impositis, graviusculis præsertim, oculoque convoluto, proliciendâ, posteaq; eximenda: quod lapillis planis, vulgaribus silicibus, præciosis lapidibus ita formatis, ut chelidonite; item astacorum fluviatilium, quos oculos cancri appellitant, aut semine gallitrici, commodè præstatur. Idem Rhasis pistillo exiguo, resinâ pinâ illito, per oculum sub palpebris ducto, eò rectius fieri posse docet; quòd huic glutini (quod tamen citò, ab oculo madefactum, inutile fit) res illapsæ adhærentes, commodius sic possint extrahi. Tragus herbam & semen anisi contusa imponere jubet. Illis provocandis & eluendis etiam frequens sternutatio, & narium emunctio, aliaque lachrymas moventia, conducere possunt.

103. Quòd si ab his, aut alijs procatarteticis causis τάραις, & leviuscula quædam inflammatio relicta fuerit: facilè illa sedabitur; si causis illis externis priùs sublatis, oculus abluatur, primùm tepidâ, deinde frigidâ; imperetur abstinentia à cibo, ac somnus. Talis etiam multùm juvatur aëre frigido, lacte mulieris puerum

rum lactantis, aut bubulo, cum albo ovi & aqua rosarum agitato. Levis enim ophthalmia majoribus remedijs opus non habet: sed rosarum succo, ovi liquore tenui, aqua rosarum, aut plantaginis, lacte mulieris, aut asinae curatur. Instillentur hi succi oculis; qui contegantur panniculo lineo, iisdem liquoribus insuccato. Declinante tamen morbo santalos citrinos, medicum maceris, aut spicae, in aqua rosacea fervefacta adhibere poterimus.

104. Gravius autem si fuerit malum, fortioribus etiam occurrendum remedijs; universalibus tum praemissis. Convenientissimum igitur est praesidium, maxime si a plenitudine ortum traxerit, aut cum sanguinis copia conjunctum fuerit, (nisi aetas, imbecilitas, aëris immoderatio, aut aliud prohibeat) venae sectio. Sic namque Galenus adolescentem lippientem, ab Erasistrato, Medico ἀιμοφίβω, sectione venae prohibitum, satis copiose detracto sanguine, statim a phlegmone & fluxione se liberasse, ut res incantationi similis videretur de velocitate curationis obstupescens, c. 16. de curandis rat. per sang. miss. gloriatur. Eandem etiam praecipit l. 13. meth. med. c. 22. l. de cur. rat. per sang. miss. c. 7. & 10. l. de remed. faci. e. parab. c. 10. & alibi: quod etiam suo calculo approbat divinus Hippocrates, l. 2. epidem. sect. 6. & l. de visu. & aph. 31. sect. 6. & aphor. 46. sect. 7. Antè tamen prima corporis regio mundificanda fuerit: ne ex ea impuri quippiam in venas, ac habitum corporis, & locum vacuati sanguinis rapiatur.

105. Mundificantur primae viae, ventriculus scilicet, intestina, & mesenterium, per ea quae laxativa & ἐκκοπρωτικά nominantur: cujus generis, ex internis, est manna, flores cassiae nigrae, cassia extracta, pulpa prunorum, seu diaprunis simplex, pulpa tamarindorum, diacassia cum manna, diaprunis lenitivum, elect. lenitivum, elect. de manna, diacatholicon, Tryphera Persica Johannis Damasceni, pilulae de hiera simplici, pil. assajeret. pil. Ruffi, alephanginae, de aloë rosata, de aloë & mastiche, mastichinae, de hiera cum agarico, de aloë lota, syr. ros. sol. simpl. syr. viol. sol. mel rosatum solutivum, passulae laxativae, pruna Damascena vel Ungarica laxativa condita &c. Ex quibus manna dissolvi potest, vel in decocto foliorum sennae, vel in decocto prunorum & passularum, vel in decocto hordei, aut cicerum: & ita colatura

eius

eius aliquot horis ante prandium propinari. Cassia in formâ boli, cum saccharo; aut mixta cum electuario aliquo, saccharo addito, exhiberi potest.

106. Huc etiam pertinent glandes, ex melle cocto atq; concreto, admixtis interdum pulveribus aloës, agarici, salis communis aut gemmæ, hieræ picræ &c. aut alijs rebus parati. Item clysmata, ex decocto communi pro clysteribus, oleis emollientibus, verbi gratia, oleo simplici, liliorum alborum, violarum, chamæmelino, lini, butyro, electuarijs lenitivis, saccharo Tomæo, sale communi &c. concinnata.

107. Externa sunt: unguentum Agrippæ, vel unguentum de artanita, imo ventri illitum: gossipium felle taurino imbutum, & umbilico admotum: cataplasma ex succo ebuli, & farina volatili paratum, & similiter umbilico calidè applicitum; cui, ut efficacius fiat, addi possunt pulveres aloës, hellebori, colocynthidos, & fel taurinum.

108. Primis vijs hunc in modum expurgatis, ut sanguis ab oculo revellatur, & evacuetur, secanda erit vena externa cubiti, quam humeralem & cephalicam vocant, *l. de constit. art. Med. c. 17.* (aut ea non apparente, media aut basilica) in eodem latere cum oculo affecto: ut tantoperè Galeno & Hippocrati decantata ἐν θωρία & τὸ κατ' ἰξίη observetur. Et sanè humeralis venæ, aut medianæ, è directò sitæ, sectio, intra horæ unius spatium, oculorum perscpe dolores gravissimos compescuit, *c. 16. l. de venæ sect.* Mitior & magis lenta fiet evacuatio, si vena sub pollice manus, cephalica & ocularia dicta, tundatur. In mensium & hæmorrhoidum suppressione, etiam poplitis, & malleoli venas incidere commodabit, plenitudine prius per gibberis venas diminutâ.

109. Multum autem sanguinis detrahendum erit: ita ut ad animi usque deliquium, ubi plethora adesset, Galenus processerit. Viribus tamen imbecillioribus existentibus, aut magnâ præsentente sanguinis redundantia, satius fuerit vacationem partiri, & si opus sit, non semel repetere. Quo in casu quidam mediam prius venam, ad rectius tollendam plenitudinem; ab hac demùm humeralem, revulsionis ergò secare malunt.

110. Si quid venæ sectionem dissuadeat, aut eadem præ-

D

missa fuerit, eius vicariæ, cucurbitulæ cum scarificatione, colli lateribus, quæ venæ jugulares exteriores decurrunt (*Hippocr. l. de visu*) summo humero, scapulis brachijsque, uno vel pluribus locis affigantur, & perseverante morbo sæpè repetantur. Imprimis celebratur cucurbitula, aut levis, aut potius cum scarificatione, ad occiput posita, post generalem corporis vacuationem: cuius etiam meminit Galenus, *l. 13. meth. med. c. 19. & l. de sang. miss. c. 19. & l. de remed. facile parab.* Sunt etiam, qui auriculæ in latere dolente scarificationem magni in hoc casu momenti censent.

III. Venæ sectionis vices etiam hirudines, post aures, aut supra externas colli iugulares venas positæ, supplere possunt: quarum administrationem Fuchsius, *l. 2. instit. sect. 5. c. 15.* edocet.

II2. Inferiorum quoque partium, & artuum ligaturæ validæ, fascijs aut vinculis paulò latioribus factæ, sæpè solutæ iteratæque; nec non eorundem pannis asperioribus institutæ frictiones, deorsum ductæ, incipiendo ab inferioribus, ad superiores progrediendo, identidem repetitæ, in revulsionis studio commodare quippiam poterunt, ut author est Galenus, *l. 5. meth. med. c. 3. & l. 2. κατὰ τόπον.* Præ cæteris, excellentissimum artis nostræ lumen, Johannes Crato, consulere solebat, ut panno asperiore, in lixivio forti madefacto, manè cubitus totus confricetur; donec partes illæ exulceratæ fuerint.

II3. Fluentem quin etiam sanguinem, ex eiusdem Galeni loco ultimo citato, & *l. 4. κατὰ τόπον.* item Hippocr. *l. 2. de diata* assertionem, avertunt clysteres: qui ex decocto radicum fœniculi, liliorum alborum, herbarum betonica, euphrasie, malvæ, althææ, parietariæ, brançæ ursinæ, violariæ, mercurialis, betæ, atriplicis, florum chamæ meli, meliloti, seminum lini, fœnogræci, cucumeris, melonum, prunorum, passularum, ficuum, myxariorum, Zizipharum, hordei; melle violato, sale, oleis & electuarijs thesi 107. indicatis, concinnari poterunt. Quod idem præstant suppositoria ibidem descripta.

II4. Non desunt prætereà, qui pedum & brachiorum balneas, & fots instituunt, ex aquâ calidâ: cui incoqui possunt origanum, calamintha, ruta, centaurium minus, abrotonum, pullegium,

legium, serpillum, betonica, folia lauri, baccæ iuniperi &c. eique decocto calido manè ac vesperi pedes immitti.

115. His si fluxio sedari nequeat, validioribus insistendum, & extremis morbis extrema opponenda remedia: ad vesicatoria igitur & cauteria deveniendum. Applicantur illa post aures, aut in occipite, ad nucham: componunturque vel ex saponis nigri & salis vulgaris æquis portionibus: vel ex sapone & nitro: vel ex cantharidibus, in exquisitum lævorem tritis, fermento acris, aut pulpa ficuum, fimove columbino, & aceto scyllitico exceptis; quibus etiam alij pulveres pyrotici, ut seminis sinapi, euphorbij, sulphuris, piperis, &c. admisceri possunt: vel ex portione unâ cantharidum tritarum, & alicujus axungiaæ cerativate partibus quatuor: vel etiam Simplicia viridia, ut flammula Jovis, ranunculus, plantago aquatica &c. tunduntur, & dolenti loco imponuntur. Relinquuntur donec vesicæ obortæ fuerint; quod ferè intra quatuor, aut sex horas fieri solet: quæ postmodum forfice aperiuntur, apertæ quæ servantur, donec omnis humor peccans sit evacuatus. Servantur autem apertæ, si locus butyro, vel oleo communi inungatur, ac desuper folium hederæ, brassicæ aut tussilaginis admoveatur. Quidam radicem chelidonij contusam, addito fermento, nuchæ; folia simul & radices conquassatas, pedibus admovebat.

116. Cauterium, setaceum dictum ( licet aliquando frigido ferro paretur ) inter primam & secundam, vel secundam & tertiam cervicis vertebram, hunc in modum inuritur. Cutis illius loci, transversâ lineâ prius notata, tenaculâ utrinque perforata comprehenditur, volubroque versatili fortiter constringitur. Deinde stylus ferreus candens per ora tenaculæ cutimque interjectâ transmittitur. Facto sic foramine acus, funiculum sericeum, laneum aut setaceum trahens, trajicitur. Tenaculâ acuque remotis, funiculo relicto, similiter folium hederæ aut brassicæ, butyro illitum, imponitur, donec, crusta decidat. Qua detracta funiculus bis quotidie versandus, ac detergente aliquo, verbi gratia, linimento ex terebinthina, melle & pulvere ireos, inungendus est; diebus ad minimum triginta, aut quadraginta. Quàm enim hoc præsidium sæpissimè præsentaneo auxilio fuerit, multis exemplis

doceri posset. Segnius operatur fonticulus, in brachio lateris dolentis, inter bicipitem & deltoidem musculum inustus: de cujus, ut & reliquorum cauteriorum administratione videatur Capivacius, Gavassetius, Claudinus, Thomas Vienus. Veteres, ut fluentes humores interciperent, vasa, temporum exurere, aut excindere solebant: ut colligere est ex Hippocr. *l. de loc. in hom.* Galen. *l. 13. meth. med. c. 22.* & Aristoteles quoque *sect. 31. probl. 5.* meminit.

117. Ubi fluxio restiterit, ad faciendam derivationem, sanguinisque ex oculo retractionem, vena frontis, aut quæpiam ex syncipitis, vel temporum venis, quæ magis tumet, aut vena linguæ, incidenda, aut ad motis sanguisugis aperienda venit. Quidam fonticulum in syncipite, quæ sutura coronalis & sagittalis junguntur, instituunt: imitati Hippocratē qui *l. de loc. in hom.* caput ad os usque secare jubet. Induratae phlegmonarum in oculis reliquæ, incisâ quæ ad magnum decurrit angulum venâ exoluuntur, *l. de cur. rat. per sang. miss. c. 19.*

118. Si calidus & spirituosus sanguis oculos infestat (quod ex vehementiore pulsatione cognoscitur) arteriam quandam temporum secare generosum Galeno est auxilium, *l. de cur. rat. per sang. miss. c. 22. l. 4. κατὰ τόπον. l. 13. meth. med. c. 22. l. de oculis.* Quod dum exequi parant, ob metum ne postmodum prorumpens sanguis sili rursus, & cicatrix induci ne queat, propter arteriæ densitatem, duritiem, pulsationis perennitatem, aneurismatis periculum: cutim primò dividunt: arteriam à circumfisis particulis liberant; subjectis vinculis, sanguinis quantum sat est emissio, arteriam utrinque vincunt, & quod medium interiacet more varicum excindunt. Hunc metum excellens Chirurgus Paræus putat esse supervacuum; cum multiplici experientia didicerit, non magis arteriotomiam quàm phlebotomiam periculosam esse; licet consolidatio paulò tardior succedat. Sanguinis fluxum nullum unquam supervenire dicit: modò deligatio apte facta sit, hæreatque totum quatrimum, appositis ut decet plagulis.

119. Posset etiam materiæ portio per urinas educi, diureticis lenioribus, ne sanguis magis incendatur: qualia sunt aquæ, & decocta parietariæ, alkekengi, fragorum, fragariæ, graminis, melonum, cucumerum, taraxaconis, oxalydis, plantaginis, asparagi.



ragi, sceniculi; cum syrupo è succo limonum, acetoso composito, oxymel. diuretico: emulsio è quatuor seminibus frigidis majoribus, & minoribus, cum aqua aliqua diuretica facta.

120. Hæc dum ita administrantur, topica interim nulla sunt ratione negligenda; sed & ipsa pro morbi temporum, & symptomatum ratione varianda. Si igitur per vasa externa materia fluat, pro eius interceptione, fronti, temporibus, vel etiam venis jugularibus, occipitio, & oculo clauso palpebris, ac post aures, medicamenta actu & potestate frigida, defensiva vulgò dicta, ex astringentibus, adiectis quandoque etiam emplasticis, parata & applicata profunt.

121. Paratur in hunc finem utile cum primis epithema ex plantaginis succo: cui interdum albumen ovi benè conquassatum permiscetur. Fit defensivum commune, ex bolo pulverizato, subactò cum aceto, & ovi albumine: cui si æqualis cum bolo gypsi portio addatur, efficacissimum censetur. Item mastiche & olibanum in albumine ovi dissoluuntur. Componuntur epithemata, cataplasmata, unguenta, aut, ut diutiùs hæreat, minus que in oculum materia destillet, emplastra: ex succo rosarum, solani, sempervivi, acaciæ, hypocisthidos, omphacio; ex viridibus vitium folijs, per se, aut cum polenta, folijs myrti, lentisci, salicis, rubi, coriandri, endiviæ, sempervivo, portulacæ, lenticulæ palustri, rosis rubris, balauftio, malicorio, gallis, nucibus cupressi, santalis rubris, sanguine draconis, bolo Armeno, lapide hæmatite, vitreolo albo, gummi arabico, tragacantho, mastiche, thure, vernice, amylo, farinâ volatili, farinâ hordei, pice, gypso ustò, asphaltò, ladano, camphora, croco, myrrha, seminibus & capitibus papaveris albi: quæ excipiuntur modico aceti, & albuminibus ovorum, aquâ rosaceâ, plantaginis, vino astringente, infusione gummi tragacanthæ, in aquâ myrti, vel rosarum factâ, oleo rosaceo, myrtino, cerâ albâ. Ter, quater, aut sæpiùs in die repetuntur; emplastra verò triduo, si perseveret defluxio, renovantur. Horum in locum utiliter etiam substitui possunt emplastrum ad hernias, cum oleo myrtillorum remollitum, unguentum Comitissæ, unguentum astringens Fernelij.

122. Iphis autem oculis perpetuò fluxionis initio, uni-

versaliter prius evacuato corpore, pharmaca repulsaria imposita, injecta, instillata, insufflata, aut stylo argenteo osseove polito inuncta, transversim clausis palpebris indita competunt. Sint autem talia, ut & omnia quæ oculis induntur, minimè exasperantia, hoc est, non vehementem sortita astrictionem, non acria, non amara, non salsa, non acida, ne violentè in oculos agendo noxam inferant, doloremque augeant; non nimis viscida, ut adhaerentia citra molestiam avelli non possint, aut relicta computrescant: sed tùm propriâ suâ substantiâ moderatiora, tùm lenitivi liquoris admittione adhuc magis talia reddita; mediocriter crassa & lenta, si diutius inhærere ea velimus. Lenitivos liquores Galenus dicit ovi candidum, fœnogræci decoctum, magisque adhuc ipsum lac, *l. 4. κατὰ τόπ. c. 2. l. de remed. facile parab. l. 2. ad Glau. c. 2. l. 13. meth. med. c. 22 l. de opt. secta ad Thranfib. c. 9. Libro 4. κατὰ τόπ. & l. de oculis addit gummi, & tragacantham. De lacte advertendum est, ut sit mulieris juvenulæ, & boni succi, recens expressum, l. 4. κατὰ τόπ. c. 2. Lac autem oculo impositum sæpius commutandum est: citius enim quàm ovi albumen corrumpitur. Si oculus pulveres, quibus interdum opus est, etiam tenuissimos ferre nequeat; panno lineo subtili includendi, & in liquore infundendi, isque postmodum oculis instillandus est.*

123. Commendantur hunc in usum à Galeno, *l. 4. κατὰ τόπ. c. 2. & libris de simpl. facult.* folia rosarum, & flores, & succus, spica nardi, crocus, lycium, hypocisthis, pompholyx, spodium lotum, amyllum, plumbum ustum & lotum, cerussa lota, gypsum ustum, lapis hæmatites, antimonium lotum. Addunt alij mastichen, bolum Armen. corallum rubrum, vitreolum album, camphoram, saccharum candum; ex quibus variæ medicamentorum formulæ concinnantur.

124. Fiunt igitur collyria liquida ex aquâ rosarum, calicæ præsertim, plantaginis, tormentillæ, florum tapfi barbati, florum ligustri, prunellæ, portulacæ, sempervivi, anserinæ seu potentillæ, solani, myrti, aqua albuminum ovorum coctione induratorum, aqua quæ à nive Martij, dissoluta in vase vitreo provenit, mucilage seminum psyllij, sumach, lacte mulieris, aut bubulo, albumine ovi agitato, donec aquæ instar fluat, spumâ demptâ. Quibus

bus

bus aliquando adduntur tutia præparata, vitreolum album, camphora, & alia suprâ recensita: composita etiam; ut sic album sine opio, sic de thure Rhasis, sic de rosis Mesue. Insuper quæ oculos peculiari proprietate respiciunt, ut fœniculum, euphrasia, verbenâ, chelidonium majus, ruta, consolida Regalis, & eorum liquores stillatitij, omnibus ocularijs medicamentis admiscentur; calidiora tamen magis post statum. Quæ omnia, quoad præsens, actu frigidiuscula oculis instillantur, aut panno lineo tenui istis madefacto oculi foventur. Nec enim oculus ligandus; ne talia incallescencia oculum recalfaciant.

125. Parantur decoctiones, quæ per spongas subinde oculis admoventur: ex radicibus & folijs pentaphylli, radicibus & folijs plantaginis, floribus violarum, rosarum, nymphææ, seminibus papaveris albi, myrtillorum, psyllij, cydoniorum, radice mandragoræ, mori, & similibus, in aquâ fontanâ, aut aquis stillatitij suprâ nominatis. Cataplasmata formantur ex plantaginis, rubi aut myrti folijs recentibus, vel decoctis parùm, & contusis, vel papaverum capitibus, in aquâ coctis: quibus polenta admiscetur. Sic quoque pomorum acidorum, pyrorum austerorum, vel cydoniorum, asporum prius ad ignem, vel sub cineribus, vel decoctorum pulpa, oculis imponitur. Aut illinantur ijdem unguento Nihili ad oculos, quod in officinis nostris prostat.

126. Principio præterlapso (circa quintum magna ex parte morbi diem) sub incrementi & vigoris tempore, ubi sordes prius aquâ rosaceâ ablutæ fuerint, repellentibus istis discutientia ac desiccantia commiscenda sunt: plus tamen, ac ferè æquis portionibus, in statu, minus in augmento: jure omnibus inflammationibus debito, *ex l. 13. meth. med. c. 5. & 6. l. 14. meth. med. c. 7. l. 1. de comp. medic. κατὰ γένῃ, l. 6. de comp. med. κατὰ τόπ. l. 2. ad Glauco. c. 2.*

127. Adijciuntur proin repellentibus istis, sarcocolla, aloë, myrrha, thus, cornu cervinum ustum & lotum, castoreum, folia malvæ, althææ, flores chamomillæ, meliloti, anethi, semina lini, fœnogræci, mucilago seminum cidoniorum, lini, althææ, fœnogræci: & ex repellentibus illis superioribus continuantur, quæ simul concoquendi & desiccandi vi quâdam pollent: ut est  
crocus,

crocus, cerussa lota, camphora, tutia præparata, spica, lycium, amyllum, *l. 4. κατὰ τόπ. c. 2.* Excipi possunt, quando magis discutere volumus, lacte, quod virtute feri vim habet sine morfu detergendi: item luteis ovorum, aquâ fœniculi, euphragiæ, & similibus.

128. Galenus *l. 13. meth. med. c. ult.* utitur fomento ex aquâ dulci tepido. Fomentum alij parant è milio, thure, castoreo, spicâ, croco, & fellibus animalium, mitioribus tamen, ut piscium, suum, agnorum, gallinarum, perdicû, è fœniculo, ex euphragiâ, & alijs. Benefacit decoctum malvarum, althææ, cydoniorû, meliloti cum primis, & fœnogrœci. Quod fœnogrœci decoctum Galenus, loco modò citato, *l. 4. κατὰ τόπ.* singulariter celebrat, atq; omniû maximè sine offensa digerere asserit. Lavare autem priùs curiosè fœnogrœcum jubet, ne quid illi vel pulveris, vel sabuli adhærens clam lateat. Talia fomenta per spongiam, tepida, aut calidiuscula, identidem oculis applicantur. Ex compositis medicamentis hîc usum habent trochisci albi Rhasis, sief ex thure Rhasis, sief ex thure Galeni: quæ in liquoribus accommodatis, affuso interdum vino albo, dissolvuntur; pro drachmâ unâ collyriorum, uncias duas, aut tres liquorum sumendo.

129. Declinante morbo solis digerentibus, & impactos humores dissipantibus, r. etè curam perficimus: ad quod faciunt modò enumerata discutientia. Usitatoria sunt, quæ fiunt ex sanguine columbarum calente, è venis alarum petito, ex lacte muliebri & thure, adjecto croco: ex seminibus fœnogrœci, floribus chamæmeli, meliloti, euphrasiâ, chelidonio, betonicâ, lilijs, eorumque radicibus, parthenio, pulegio, abrotono; seminibus fœniculi, seselios, cymini, farinâ fabarum, mucilage seminum lini, & fœnogrœci: ex quibus, affusâ etiam vini portione, fomenta, suffimenta, sacculi & cataplasmata efformantur. Ovum ad duritiem coctum, detractâ testâ; pomum item putre, calens oculo apponitur. Felix Platerus pulmonem vel hepar columbæ, cruenta adhuc, & tepentia, supra oculum ligare jubet. Quidam usque ad chalcitidem, æris squamam, æs ustum progrediuntur, eaque cum liquoribus lenientibus incorporant. Convenit pulvis citrinus Rhasis. Veteres enim, ut in totâ curâ, ita & hîc monoëmeris suis plu.

plurimum tribuebant, ut liquet ex *c. 2. l. 4. κατὰ τόπον*. ex quo etiam libro, & *c. 16. l. 7.* Pauli Æginetæ, Alexandro Tralliano, & alijs, varias ad varios scopos reperire licet formulas.

130. Quidam istam humorum desiccationem, & dissolutionem, etiam internis medicamentis procurant: in primis autem decocto radicis chinæ, aut sarzæ parillæ, aut etiã, in frigidior corporum & cœli constitutione, decocto ligni guajaci, vel sassafras, præsertim si cichoraceis & passulis contemperentur. Adduntur autem semper decoctis istis Simplicia quædam ophthalmica. Et Capivaccius quidem, ante quemlibet haustum, talium decoctorum, pilulam unam ex pulvere chinæ, salsæ &c. ex quibus decoctum paratum, & pulvere euphragiæ ac fœniculi, cum syrupo de betonica concinnatam, assumere jubet. Sed de præparatione, usu & administratione talium decoctionum cum passim multa legere liceat; non est ut hîc longiores simus. Illud tamen addendum erat; non convenire harum usum, ubi insignis quædam calida vel sicca viscerum intemperies subest.

131. Morbo ipso hunc in modum expugnato, partis imbecillitas relicta corrigenda venit: quod tum internis, tum etiam externis præstamus præsijs. Externa sunt, si aquis ophthalmicis, thesi 124. denominatis, sæpius oculi foveantur. Authores laudant vinum generosum, in quo euphragia, & fœniculum ebullierit, aut quod aqua fœniculi dilutum sit: vel etiam vinum rubrum stypticum, si ob aciem oculi dispersam, ut loquuntur, astrictione opus sit. Quo in casu Capivaccius etiam acaciam, omphaciũ, balauftium, gallas omphacitides, collyrium è granatis acidis, liquoribus admiscet. Volunt autem parari patellam, seu vas argenteum, aut vitreum, ad proportionem magnitudinis oculi efformatum; cui vinum illud commodè infundi, in eoque oculi immergi possint. Veteribus in usu erat collyrium nardinum.

132. Interna sunt: myrobalanichebulæ, & emblicæ conditæ, manè comestæ, atque etiam nuclei earum, in ore contenti: nux moschata condita: fœniculi semina saccharo incrustata: euphrasia herba crebrò masticata: conserva euphrasiæ, conserva betonicæ, conserva florum tunicæ, conserva consolidæ Regalis: electuaria optica Augustanorum: ex quibus,

E

-additis interdum aliis etiam pulveribus ophthalmicis & cephalicis, adjecto etiam, tempore minus calido, ratione affectuum rheumaticorum, pauxillo theriacæ, vel Mithridatij, cum syrupo de betonica, aut simili, electuaria: aut ex solis pulveribus, verbi gratiâ, euphrasiæ, rutæ, chelidoniij maioris, verbenæ, consolidæ Regalis, betonicæ, thymi, seminum fœniculi, fileris montani, florum anthis, rosarum, caryophyllorum, cinamomi, macis, xyloaloes &c. cum saccharo, in aquis euphrasiæ & fœniculi dissoluto, cui guttæ pauca olei fœniculi, aut cinnamomi, Chymicâ arte destillati, adungi queunt, tabulata parari possunt.

133. Sunt præterea quædam, quæ inspecta, aut gestata, in ophthalmia vulgò juvare creduntur: ut est achates lapis & saphirus inspectus: lapatij vulgaris radix, luna decrescente effossa, gestata: lapis bubuli fellis, naribus inditus.

134. Fuit isthæc cura ophthalmiæ sanguinæ: sed quæ cæteris etiam ophthalmiæ speciebus accommodari potest: modò sequentia, quæ de singulis in specie tradituri sumus, ritè observentur.

135. In ophthalmia igitur biliosa, post sanguinis missionem, quæ hîc parior esse debet, humores acres, & ferventes, mitigandi, & temperandi sunt, syrupo rosato simplici, syr. è rosis ficcis. syr. viol. simpl. syr. de succo endiviæ, syr. de nymphaea, syr. acetoso simpl. syr. granatorum, syr. de succo acetosæ, syr. papaverino, syr. iuiubino: decocto cichorij, acetosæ, capillorum Veneris: aquâ acetosæ, lactucæ, cichorij, endiviæ, plantaginis, rosarum, ivolarum, solani, verbenæ, euphrasiæ.

136. Præparatis humoribus biliosis etiam purgatio instituenda: ita nobis viam præeunte Hippocr. *l. de loc. in hom.* Galeno, *l. 2. de diff. febr. c. 11. comm. aphor. 17. & 11. sect. 6. l. de ocul. & alibi.* Sæpè namq; oculorum phlegmone solâ purgatione per alvum uno die sanata est, *l. 13. meth. med. c. 11.* Mitioribus autem sub initio intentamus, veriti ne fortiori pharmaco humores agitati, uberius ad oculos confluant. Huc faciunt cassia, manna, cum tamarindorum decocto, rhabarbarum, myrobalani citrinæ, diaprunis simplex, pulpa tamarindorum, serum lactis, infusio sennæ (quæ, quodd singulariter oculos respicere credatur, plerisque purgantibus in oculorum affectibus commiscetur) hiera picra, catholicum,

Syrupus rosatus solutivus simplex, syr. violatus sol. syr. de cichor.  
cum rhabarb. mel violatum solut. decoctum capillorum Veneris,  
pilulæ de hierâ simplici, pil. de aloë rosatâ. In contumaci tamen  
quâvis ophthalmiâ, à cacochymiâ natâ, dubium non est, ex ipsius  
quoq; Hippocratis, loco citato, sententia, quin validiora etiam sint  
exhibenda: ut est, præter cætera, electuarium è succo rosarum, e-  
lect. rosat. Mesue, elect. de psyllio, extractum rhabarbari simplex,  
extr. aloës, pilulæ aureæ, & singulares hîc pil. Sine quibus, Po-  
lychrestæ sunt pil. Arabicæ, pil. ex quinque generibus myrobala-  
norum, pil. aggregativæ, extractum catholicum Theophrasti,  
extr. holagogon Andernaci, extr. tabellarum, extr. rhabarbari  
compos. syr. diasereos, & diacnicu Andernaci, decoctum myro-  
balanorum, decoctio aperitiva major, cum rhabarb.

137. Repellentia dein eligenda mitiora: vitanda in gra-  
viori malo empl. stica; eò quòd, authore Galeno, *comm. aphor. 31. sect. 6. & l. 4. κατὰ τόπ. c. 1.* fluxiones vehementes reprimere haud  
valeant, sed exce. ni prohibeant: unde, si humores fluentes acres  
extiterint, corneam erodi contingit; si verò multi, extendi, ac ve-  
hementer irritari, & si rumperetur: ex quibus, nisi medicamen-  
tum fuerit magnopere stupefaciens, dolores atroces generantur.

138. Galenus noster, *l. 13. meth. med. c. 21.* veteres dicit in  
tali ophthalmiâ magna cum consideratione ad ovi devenisse hu-  
morem, electo scilicet ex eo, quod & mordens minimè esset, &  
glutinosum. Nam quòd minimè mordeat, eo ipso acres sine of-  
fensa eluit fluxiones, dolorem etiam maximè mulcet: quòd lentus  
& glutinosus, omnes asperitates, à tali fluxu excitatas, lenit, con-  
stantius quàm tenuis, & aquosus humor, in loco permanet. Nec  
minùs & lacte iuvenulæ fœminæ uti nos jubent, quæ sit boni  
succi. Atque id ipsum cum tenui humore, rosarumque albarum  
stillatio liquore permistû, commodum hîc erit medicamentum:  
non semel tantum, aut bis in die, sed ter, quater, & sæpius applica-  
tum, ubi vehementior dolor urget: tenuibus in eo linteis made-  
factis. Imò perpetuò, & subinde imponenda medicamenta sunt,  
quia novo humore, & lachrymis effluentibus eluuntur.

139. Ubi concocta jam phlegmone ipsa fuerit, & corpus  
simul vacuum: tum utique lavationes in balneo (tepidò aquæ



dulcis) ijs sunt aptissima. Dolores enim statim sedant, & fluxiones quæ ad oculos feruntur sistunt: maximâ quidem eius parte inter lavandum per totum corpus excretâ, reliquo verò diluto, *l. 13. meth. med. c. 22. l. 4. κατὰ τόπον. comm. aphor. 31. sect. 6.*

140. Crassiores succi, ut pituitosi, & melancholici, ubi malo occasionem dederint, parum sanguinis detracto, ad eorum præparationem & evacuationem nos accingere debemus. Crassos humores, & viscidos, inquit Galenus, *l. quos purgare oportet &c.* prius attenuare, & incidere oportet, *meatusq;* per quos transumuntur, atque attrahuntur ij, aperire ante medicamenta purgantia, si purgatio modis omnibus optima sit futura.

141. Ex ipsis autem præparantibus tales humores, ob inflammationem deligenda ea, quæ minus sunt calida & acria: ut, ad pituitam quidem, mel rosatum, syr. acetosus simplex & compos. oxymel simpl. & compos. syr. de betonicâ, syr. de stœchade: aqua ophthalmicâ, ut euphrasie, fœniculi, verbenæ, aquâ betonicæ, aq. pœoniæ, aq. primulæ veris, aq. hyssopi, aq. florum chamæmeli, aq. stœchados, aut horum decocta. Ad melancholiam: syr. de fumariâ simpl. syr. de scolopendrio, syr. borrag. syr. buglossæ: aqua & decocta borraginis, buglossæ, fumarie, jaspleni, veronicæ &c.

142. Expurgatur pituita præparata agarico, myrobal. emblicis, chebulis, belliricis, hierâ picrâ, diaphœnico, pil. alephantinis, de agarico, fœtidis, cochis, & cum primis pil. lucis majoribus, & pil. de octo rebus seu octomeris Nicolai Præpositi: extracto agarici, cum syr. de agarico, melle ros. solut. decocto Andernaci, aut decoctione aperitivâ lenitivâ majore. Melancholia senâ, epithymo, myrobal. Indis, polypodio; hierâ Ruffi, diasenâ, confectioe Hamech, pil. Indis, pil. de fumo terræ, pil. de lapide lazuli, extr. hellebori nigri, cum syr. de senâ, de epithymo, de fumariâ compos. de polypodio, & decocto senæ, decocto epithymi, decocto fumarie.

143. Si caput eiusmodi humorum redundantiam ad oculos transmittat, universalibus, si ex usu videatur, præmissis, masticatorijs etiam, ac gargarismis, pituitam capitis elicere tentandum, ex præcepto Hippocratis, *l. 6. epidem. sect. 2.* Galeni, *l. 6. de sanit. tuend. c. 12.* Verum hæc ad capitis potius morborum curationem, de qua



de qua in precedentibus abundè ab alijs actum, spectare videntur. Errhina autem propterea omittenda censemus; quòd metus sit, ne humores ad oculos magis trahantur. Ut enim masticatoria ad posteriorem: ita errhina ad priorem capitis partem materiam perducunt.

144. Topica huic differentiae conveniunt, non quæ reperiunt ac reprimunt ( ut nec ulli ophthalmiae à congestione natae ) sed quæ evocant ac digerunt, ut colligere est ex *c. 6. l. 13. meth. med. & ex Pauli l. 3. c. 22.* Constat enim, repellentibus tum locum non esse, cum materia quæ influxit pestilens est & venenata, cum critico modo depulsa, cum in emunctorijs collecta, cum in tali loco consistit, ex quo metuenda regurgitatio ad partem principem, cum acerbum excruciantemque dolorem habet adjunctum, cum insignis plethora, aut cacochymia adest, cum denique materia est crassa, validè impacta, & repulsioni inobediens.

145. Potius igitur discutientibus supra recensitis contrahendum: inter quæ Galeno præcipuè commendatur decoctum meliloti, chamæmeli, & vel maximè decoctum vel succus fœnogrœci; qui hunc in modum paratur. Fœnogrœcum diligentissimè purgari & abluui debet: postea in aqua purissima per diem & noctem maceratum, in fictili exactè decoqui: effusaque priore aqua, & aliâ purâ affusâ, ad ignem splendidum, fumo carentem, exquisitissime coopertum, ad liquidioris mellis consistentiam coqui: inde per linteum succus citra expressionem excolari, *l. de remed. facile parab.* Hunc, quoad viscositatem, Galenus dicit similem esse ovorum albugini: discussoriam, moderatè calfactoriam, ob idque multos dolores mitigatoriam possidere facultatem, *l. 4. κατὰ τόπον.* Aut si nec in toto corpore humorum copia adsit, nec à capite in oculos defluxio fiat: verùm crassus sanguis oculorum venulas intendat, easque squalidas habeant, & propterea valdè tumidas, ac plenas sanguine, balneum rursus temperatum præcipiendum erit, quod meatus calefacere ac laxare valet: ac deinde vinum meracius exhibendum; quod, ut supra dictum est, & diffundit, & evacuat, & obstructions aperit, *comm. aphor. 31. sect. 6.*

146. Si flatuoso spiritu tunica adnata distenditur, vacuato prius in his quoque toto corpore, sed & humorum momento



averso deorsum; mox localibus remedijs utendum: non tamen neque hic ijs quæ repercutiant ac reprimant, sed potius ijs quæ discutiant. Igitur fœnogrœci decoctum ijs infundendum est, *l. 13. meth. med. c. 22.* In crebro etiam usu sunt vaporations, ex milio, *l. 12 meth. med. c. 8.* & sacculi, ex milio & furfure parati, decoctis digerentibus aspersi.

147. Tandem in chemosi, Galenus peculiariter utebatur hoc præsidio, quo confestim illa sedata fuit. Ovi luteum cum muscæ carne terebat, atque ubi ad cerati formam deducta erant, linteo excepta oculo laboranti imponebat, *l. 4. κατὰ τόπ. c. 8.*

148. Proposuimus hætenus ordinariam & methodicam ophthalmiæ curationem: verum quod in alijs morbis sæpius usu venit, illud in hoc affectu est frequentissimum: ut nimirum symptomatum vehementia medentis cutam ad se pertrahat, & legitimam medicationem pervertat. Maximè autem hic urget dolor, ob sensum tactus oculorum exquisitum sævus; calor item & rubor: quibus quomodo convenienter occurratur indicandum.

149. Dolor atrox quovis tempore anodynus mitigandus est, ijsque vel solis, vel alijs medicamentis, pro diversis scopis facientibus, admixtis; qualia multa in superioribus jam proposita sunt, quæ & materiæ morbum sanantis, & dolorem demulcentis rationem habent. In usu frequentiore sequentia deprehenduntur. Decoctum seminum fœnogrœci, seminum lini, semin. cydon. sem. psyllij, sem. & capitum papaveris albi, flor. chamæmeli, meliloti, malvæ, althææ, violarum, hordei mundi, sesami, quæ cum spongijs applicantur. Mucilago sem. psyllij, cydon. fœnogr. lini, althææ, malvæ, gummi Arabici, tragacanth. cum aquis vel decoctis flor. chamæmeli, meliloti, malvæ, althææ, aut sem. fœnogr. & alijs supra dictis extracta. Aqua etiam & succus rosarum, chamæm. melil. euphras. &c. lac quodvis, in primis muliebre: ovi vitellus, vel solus, vel cum albumine mistus, tostus interdum, aut lcoctus: thus, crocus. Matthiolus singulariter commendat lac muliebre, & aquam rosarum, in qua accensum thus trigesies extinguitum fuerit. Celebratur etiam crocus, cum lacte muliebri, & vitello ovi commixtus: item amyllum, cum aquâ rosarum subactum. Cataplasmatibus instar apponuntur: caseus recens. salis expers: caro vitulina,

vitulina, recens abluta, quæ singulare est Empiricorum reme-  
dium: pulpa pomorum dulcium, coctorum, aut sub cineribus as-  
fatorum: pulpa pomorum semiputridorum, modicè assorum:  
medulla panis, decocta, vel per noctem macerata, in lacte, vel a-  
quâ rosaceâ, aut succus expressus, aut cum rosaceo receti, croco &  
ovi vitello subacta: fœnogrœci, vel hordei, vel lini feminis farina,  
aquæ decoctionis capitū papaveris, aut alijs liquoribus immista.  
Pilulam sambuci, in aquâ communi, vel rosarum maceratâ, aliâve  
convenienti, Chirurghi applicare solent. Dn. Crato jubebat detra-  
here pelliculam internam ex leporinis auribus, eamque imbue-  
re lacte muliebri bono, ac recenti, & madidam oculis clausis ali-  
quoties applicare. Noctū verò palpebras, & totum oculum, ma-  
ximè ad angulos & extremitates, leniter inungere isto unguento,  
cujus mirificam efficaciam expertum sedicit, & pro secreto habu-  
isse. Accipiatur butyrum, si haberi potest, mense Majo factum,  
aut aliud recentissimum, diligenter elotum; vel loco illius medul-  
la bovina, è cruribus, vel cervina: atque huic admisceatur la-  
pidis calaminaris, in tenuissimum pulverem triti, quantum acci-  
pere poterit: & uti dictum, hora decubitus applicetur. Repeti au-  
tem aliquoties noctū inunctio ista potest, si præsertim dolor vehe-  
menter urgeat. Mane abluitur aquâ rosaceâ & fœniculi, in quâ par-  
ticula pomi dulcis sit decocta. Unguentum Nihili vulgò ad eun-  
dem finem usurpatur.

150. Narcotica non nisi extremâ urgente necessitate,  
ubi reliqua præsidia nihil profecerint, & jam gravissima pericula,  
ut syncopes, & hinc mortis, instent; ac potius in biliosâ, quàm pi-  
tuitosâ, aut flatulentâ ophthalmiâ conceduntur. Qua de re gravis  
extat admonitio Galeni nostri, *comm. aphor. 31. sect. 6.* Si, inquit,  
medicamentum fuerit adeò vehementer stupefaciens, ut ex eo o-  
culi maximam inflammationem non sentiant: necessarium est, si-  
mùl vim visoriam adeò lædi, ut cessante inflammatione, vel debi-  
liter, vel nihil omninò videant; simul quandam præduram dispo-  
sitionem, & quæ difficulter sanari possit, in oculorum tunicis re-  
linqui. Et *l. 3. meth. med. c. 2.* multos nosti ab ejusmodi medica-  
mentorum usu, cum liberaliùs fuissent admota, nunquam postea  
naturalè statum recepisse: sed ex his principio quidem obscure at-  
que

que agrè vidisse; tempore verò suffusione, vel pupillæ nimiâ dilata-  
tione, vel tabe, vel corrugatione occupatos.

151. Sunt autem talia partim intrinseca, licet rarior eorum  
usus sit, & Galenus de externis solùm locutus videatur: partim  
extrinseca. In illorum albo sunt: laudanum opiatum Paracelsi,  
Requies Nicolai, Philonium utrumque, Theriaca & Mithridatium  
recens &c. quæ vel cùm saccharo, in formâ boli; vel cùm vino, aut  
alio liquore, in formâ potionis; aut, ut laudanum, in formâ pilularum  
exhibentur. Hæc opium ferè recipiunt; cuius aliquot grana  
lacti, aut, secundum Avicennam, aquæ saccharatæ, vel mellitæ,  
alijsve medicamentis anodynis, unâ cùm croci granis quibusdam  
adijciuntur. Parantur item ex succo & folijs hyoscyami, cicutæ &  
mandragoræ; tùm per se, tùm cùm polentâ mistis: pulpa pomorum  
maturorum Amoris, pomorum strychnodendri. Veteribus  
in usu erat sief album cùm opio, sief de rosis Mesue, sief viride Anthæi,  
sief citrinum Mesue, aptis liquoribus dissoluta. Applicantur  
temporibus, fronti, & si opus sit, ipsis etiam oculis. Galenus, *l. 12. meth. med. c. 8.*  
auribus infundit medicamentum, ex castoreo & papaveris succo confectum, ac sapâ liquatum. Vbi etiam  
utiliter admonet, ut, si quando ad stup. facientium usum necessitas nos  
compulerit, postmodum frigiditatem ab opio relictam corrigamus  
calefacientibus medicamentis: quale ipsi erat collyrium è cinnamomo.

152. Ruborem & calorem extinguunt, præter ea quæ  
reprimentium nomine suprâ indigitata: aqua fragorum, illis prius  
in eo vase, in quo destillantur, putrefactis in fimo: aqua fragariæ,  
aqua florum cichorij, aqua endiviæ, cucurbitarum, papaveris rubri  
sive erratici, lenticulæ palustris, borraginis, buglossæ, cyani  
utriusque, florum convolvuli utriusque, calendulæ, liliorum con-  
vallium, basiliconis, linariæ, florum sambuci; mucilago tragacanthæ,  
ex dictis aquis elicita; succus lactucæ succus solani. Ad contem-  
perandâ humorum acrimoniam hæc etiâ adduntur ovorum albumina,  
camphora, tragacanthum, tutia præparata, cerussa lota, pompholyx  
lota, lapis hæmatites, lapis calaminaris, vitreolum album.

153. Istis ubi morbus semel fuerit profligatus, ne subinde  
recurrat, & recrudescat, præcavebitur idoneâ victus ratione, &  
sex

sex rerum non naturalium legitimo usu; quem ex superioribus colligere, haud erit difficile: inter quæ tamen parcior cibandi ratio facilè primas tenet. Et sicubi humores in quantitate, aut qualitate vitium contraxerint, commodæ maturè instituantur vacationes, sive per venæ sectionem, in malleolis aut gibbero factam, sive per purgationem, vere & autumno institutas, *l. de cur. rat. per sang. miss. c. 7.* sive per scarificationes, sive per setaceum, aut brachij fonticulum. Ubi circa purgantium usum illud tenendum: probare nos potius, cum Excellentissimo Cratone, leniora cathartica, ut pilulas mastichinas, assajeret, de aloë lota, vel aloë & mastiche, singulis vel alternis mensibus, aut omninò crebriùs repetitas, quàm vehementia illa, & scamoneata, quæ ob nimiam violentiam naturam plùs quàm par est labefactant.

154. Phimosi (uthæc obiter addamus) post universalia remedia, curatur fomento ex malva, folijs violarum, semine fenogreci, & similibus: vel cataplasmate ex pulvere libi lini, decocto cum lacte bubulo, & modico oleo liliorum: & alijs, quæ ex superioribus nullo negotio intelliguntur.

155. Sclerophthalmiâ qui laborant oculi, crebrò spongijs aquâ calida imbutis foveri debent. Item ovum palpebris in lecto imponitur, cum rosaceo, vel adeps anserinus, Frigida, & quæ indurant, vitanda: caput velandum ungendumque, alvus ducenda, *Paulus l. 3. c. 22.*

156. Xerophthalmia curatur balneis, inunctionibus, & victu probi succi. Utrisquè verò istis communiter conveniunt medicamenta acria; ut vel lachrymas provocent, per quæ & durities emollietur, & siccitas humectabitur, *ibid.* Utile decoctum malvæ, violarum, hordei mundati.

157. Psorophthalmiam, ex salso & nitroso humore contractam, convenit fovere poscâ, lenticulæ decocto, & rosarum. Laudatur Erasistrati panchrestos: ex æris drachmis sex, misyos tostis, myrrhæ, singulorum drachmis tribus, croci sesquidrachmis, piperis drachmâ, vini Chij & passu Cretici, singulorum cyatho uno & dimidio, incoctis quoad mellis spissitudinem habuerint. Hoc etiam in sclerophthalmia & xerophthalmia idem Palus loco citato laudat. Si hæc sint exigua, addunt alij fotum ex aquâ rosarum te-

pidâ, mixtâ cum aceti pauxillo, vel decocto radicis lapathij acuti,  
acetosæ & malvæ.

158. Hæc sunt quæ de dignotione & curatione ophthalmiæ proponere hoc tempore potuimus. Utinam verò corporeis oculis hunc in modum confirmatis, mentis etiam oculum intendere, & rerum naturam penitus introspicere nobis daretis, qui & oculum creavit, & Sanatorem nostrum se esse profiteretur.

---

AD PRÆSTANTISSIMUM  
Dn. Respondentem Amicum  
meum.

I.

**S** I Pietas, si Vera Fides, si Candor & Aequum,  
Sobrietas, Medica Cognitioq; rei,  
Si quoq; Judicium dextrum, si Cura Laborq;  
Sunt nobis Fame symbola certa Bonæ;  
Dispercam, si non S T E G M A N N U M ad sidera tollent:  
Vel certè Virtus tendit in exilium.

F.

M. Johannes Paulus Crusius,  
Pr. Cl. Pr. & P. L.

I I.

**G** Emmeolis oculos clarasti Aganippidos undis  
Lucide Castalidum S T E G M A N ocelle chori.  
Næ benè, Præceptor, qui verset scripta Galeni,  
Scisti opus ut claris polleat iste oculis.  
Hinc oculis clares, hinc clares clare Machaon  
In medicaminibus, quæ quoq; clara refers.

Hinc

*Hinc de curandis tua litera prodit ocellis;  
Illis quaeratio, qui Geniusq; fiet.  
Hinc facis, ut quibus est clara hac tua scriptio cura,  
Sint oculis clari corporis atq; animi.*

Domino Præceptori suo optimè de se merito  
hæc congratulans deproperavit

Johannes Joachimus Pachmeyr  
Augusta-Vindel.

I I I.

**A** *Udieram ex oculis te olim traxisse dolorem:  
Non secus ac si esset res mea tristis eram.  
Sed color atq; vigor redijt quia corpore toto;  
Non secus ac si esset res mea latus ero.  
Insuper & cathedram quia scandis, gratulor ausis.  
Mox Basilea tibi præmia digna dabit.*

Observantiæ ergò præceptori suo amanti.  
appos.

Zacharias Stenglin Augusta-Vindel.

F I N I S.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is faint and mostly illegible due to fading and the texture of the paper.


A  
Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is faint and mostly illegible due to fading and the texture of the paper.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is faint and mostly illegible due to fading and the texture of the paper.










X 261 5890

WD 17



44

eben  
undsch  
st ist.  
lesen,  
eund  
bist.

zurü  
t un  
de  
r Lie  
uld

it be  
fe

Sch

D  
nd d  
sterb  
n De

Bir  
Deine  
heri  
tats

ollte  
. G

den-  
in;

n.  
en!

erüb  
wi

t wo  
OL

Inches  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
8

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

ARCHIATRO COELESTI  
Auspice & Duce.

DISPUTATIO-  
NUM MEDICARUM,  
DE SPECIALI DIGNOTIONE ET  
Curatione morborum totius corporis  
humani, ea quæ est

DE

OPHTHALMIA.

Q V A M.

SUB PRÆSIDIO

*Clarissimi & Excellentissim Viri*

DN. JOHANNIS RUDOLPHI  
SALTMANNI MEDICINÆ DOCTO-  
ris, & in Inclita Argentinenſium Academia Professoris  
Celeberrimi, Præceptoris ſui omni observa-  
tiæ cultu proſequendi,

*Publico examini ſubmittit*

DAVID STEGMANNUS MEM-  
mingenſis.

*Menſe Septembri.*

In auditorio Medicorum,

ARGENTORATI.

Typis JOHANNIS REPPIL

Anno M. DC. XIX.

8

